Ea quae Demosthenes et Aeschines

in

orationibus de falsa legatione habitis

de tempore

primae et secundae ad Philippum legationis

narrant

num inter se consentiant quaeritur.

Dissertatio inauguralis

quam

amplissimo philosophorum Marburgensium ordini

ad

summos in philosophia honores rite capessendos

obtulit

Otto Gilbert,

Raetzlingensis.

Marburgi Cattorum

MDCCCLXVII.

Göttingen.
Druck der Dieterichschen Univ.-Buchdruckerei.
W. Fr. Kaestner.

Animum quum induxerimus, Demosthenis de falsa legatione oratio num ita habita sit ut nunc legitur quaerere, primum, ut ipsa de hac re certi aliquid inveniatur et afferatur, necesse esse putavimus res, de quibus Demosthenes et Aeschines agant, quomodo revera factae sint cognoscantur. Summa cum voluptate ea quae oratores narrant examinavimus et omnia de quibus dissentiant hac tantum ratione inveniri et cognosci posse nobis persuasimus, ut artificia sophistica quibus rem inferiorem superiorem reddant cognoscamus. Quibus cognitis ipsis de iis locis, quibus Aeschines ad adversarii orationis locos singulos respicit quibusque Demosthenem aliter atque nunc legimus dixisse judicibus nobisque persuasurus est, certi aliquid statui potest.

Itaque hac quaestione, quam nunc in lucem prolaturi sumus, fundamentum quoddam nobis jecimus, ex quo ipsa de ea re, quam quaerendam nobis proposuimus, disputationem exstruamus. Aliis chartis eos locos collegimus, quibus Aeschines Demosthenis ad verba respicit, qua re efficitur, ut ea verba, quae sequitur revera dicta esse cognoscamus. Postremo num Demosthenis oratio ita artis rhetoricae legibus respondeat, ut revera ab eo habitam eam esse putemus, quaesivimus et eos locos, quos spurios esse persuasum nobis habemus, notavimus causasque cur Demosthenis eos esse negemus attulimus.

Quae quamquam maximam partem chartae jam mandavimus, hoc tamen loco iis tantum de rebus disputabimus, de quibus Demosthenes et Aeschines inter se dissentire videntur.

De tempore quod legationi primae, quam Athenienses ad Philippum miserunt, antecessit Demosthenes pluribus locis dicit: 92: (de f. l.) *ἦν ἡμῖν πόλεμος πρὸς Φίλιππον,* 149: postquam Thebanos malorum Iliadem illo tempore circumstetisse exposuit, haec adjungit: *ὑμῖν δὲ τοιοῦτο μὲν οὐδὲν-ἦν-*

τοῦτο δ' ἦν τὸ δεινότατον τοῦ πρὸς Φίλιππον πολέμου· οὐκ ἐδύνασθε κακῶς ἡλίκ' ἐβούλεσθε ποιεῖν ἐκεῖνον, τοῦ δὲ μὴ πάσχειν αὐτοὶ πᾶσαν ἄδειαν ἤγετε. Philippus vero describitur 315 *ἀπ' ἀρχῆς τῆς εἰρήνης ἐπιθυμῶν, διαφορουμένης αὐτοῦ τῆς χώρας ὑπὸ τῶν λῃστῶν καὶ κεκλειμένου τοῦ ἐμπορίου ὥστ' ἀνόνητον ἐκεῖνον ἁπάντων εἶναι ἀγαθῶν.*

Philippum de pace agendi auctorem fuisse saepe dicit Demosthenes. 315: *τοὺς τὰ φιλάνθρωπα λέγοντας ἐκείνους ἀπέστειλεν ὑπὲρ αὐτοῦ τὸν Νεοπτόλεμον τὸν Ἀριστόδημον τὸν Κτησιφῶντα* — per quos (12) Atheniensibus persuasum est, ut legatos, qui de pace constituenda agerent, ad Philippum mitterent. Idem 93 dicitur et *τὴν ἀρχὴν πρώτην ἔφερον τοῦ φενακισμοῦ* (18) adjicitur. Quibus ex verbis Demosthenem illos viros, qui primum de pace cum Philippo facienda verba fecerunt, Philippi commodis serviisse putare, perspicue intelligitur; quae num vera Demosthenis sententia fuerit nescimus: est enim Demosthenis, ut omnia, quae cum Aeschinis consiliis factisque aliqua ratione conjuncta esse videntur, in suspicionem vocet.

Athenienses de pace ineunda inter se dissenserunt: alii ut bellum finiretur et pax cum Philippo fieret postulaverunt, alii ut omni virium contentione bello instaretur studuerunt. Posterioris partis Aeschines princeps fuisse videtur; primum eum fuisse, qui Philippum *ἐπιβουλεύοντα τοῖς Ἕλλησιν καὶ διαφθείροντα τινὰς τῶν ἐν Ἀρκαδίᾳ προεστηκότων* cognoverit 9—12 dicit Demosthenes: fuit Aeschines *ἀπιστῶν Φιλίππῳ καὶ μόνος καὶ πρῶτος ἰδὼν ὅτι κοινὸς ἐχθρὸς ἐκεῖνος ἐστιν ἁπάντων Ἑλλήνων* 302. Ex hac sententia semper pro contione locutus est; Ischandrum Neoptolemi secundanum actorem adhibens ad populum et senatum, quo modo Philippus ageret, retulit suasitque Atheniensibus, ut quocumque terrarum legatos mitterent *τοὺς συνάξοντας δεῦρο τοὺς συμβουλευσομένους περὶ τοῦ πρὸς Φίλιππον πολέμου* 10 sq. Quem ad finem spectaverint ea quae Aeschines dixit 303 exponit Demosthenes: *συσκευάζεσθαι τὴν Ἑλλάδα καὶ Πελοπόννησον Φίλιππον,* Athenienses autem *καθεύδειν*, quos ut ad bellum acerrime gerendum incitaret Miltiadis et Themistoclis decreta, juvenum in Aglauri aede datum jusjurandum recitavit: non esse Atheniensium, ut totam Graeciam Philippo concederent. Quibus verbis commoti Athenienses in omnes terras *μόνον οὐκ ἐπὶ τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν* legatos emiserunt; Aeschines ipse *πρεσβεύων εἰς Πελοπόννησον* Megalopoli praeclaras et longas orationes habuit. In reditu in Atrestidam a Philippo profectum cum mulieribus et pueris Olynthiorum captivis incidit; quod cum vidisset, de Graecia se plorasse pro contione Atheniensium dixit. Quum multos homines in Peloponnesi urbibus a Philippo stare intellexisset, Atheniensibus, ut denuo

in Arcadiam mitterent qui Philippi studiosos accusarent, suasit: quibus de legationibus alio loco dicemus cfr. 303—6 [1]).

Ex omnibus his rebus, Aeschinem acerrimum Philippi inimicum fuisse et omnibus viribus ac opibus bello contra eum persequendo studuisse, facile intelligas: quamobrem eorum legatorum, quos de pace constituenda acturos ad Philippum miserunt Athenienses, etiam Aeschines fit unus *οὐχ ὡς τῶν ἀποδωσομένων τὰ ὑμέτερα οὐδ' ὡς τῶν πεπιστευκότων τῷ Φιλίππῳ ἀλλ' ὡς τῶν φυλαξόντων τοὺς ἄλλους* 12. Demosthenes omnia quae Aeschines illo tempore contra Philippum egit valde probat 306: *ταῦτα μὲν τοίνυν τότε καὶ μάλα καλὰ καὶ τῆς πόλεως ἄξι' ἐδημηγόρει·* 16: *οὔπω πεπρακὼς αὑτὸν ἦν.*

Videamus nunc quomodo Aeschines illa tempora describat. Loci 12 20 (de f. l.) 36 sq. 59—62. 69—73. 79 sq. 164 ad haec tempora spectant. Legati Euboici quum Athenis de pace inter Euboeam et Athenas facienda agerent, primi de Philippi consilio cum Atheniensibus amicitiae redintegrandae mentionem fecerunt. Alii homines, qui diversis causis moti Philippum convenerant, eodem de regis consilio et voluntate retulerunt; qua de causa Philocrates decretum scribit, ut Philippo legatos de pace acturos mittere liceret; quum Lycinus de hoc decreto accusationem contra Philocratem comparavisset, Demosthenes accusatum defendit et ut absolveretur effecit. Aesch. 2, 12 sqq.

Quod revera factum esse Franke vir doctissimus dubitat [2]): Demosthenem numquam cum Philocrate ita conjunctum fuisse, ut eum in judicio adjuturus fuerit, putat. Movent eum maxime Aeschinis verba quae et 2, 14 inveniuntur: — *ἀρρωστίως δ' ἔχων ὁ Φιλοκράτης ἐκάλεσεν αὑτῷ συνήγορον τὸν Δημοσθένην* et 3, 62: *ἀπελογεῖτο δὲ Φιλοκράτης συναπελογεῖτο δὲ καὶ Δημοσθένης*: quae non inter se consentire dicit: illud enim Philocratem omnino nihil dixisse velle, hoc utrumque verba fecisse. Sed errat vir doctissimus: verba de f. l. 34 non, Philocratem omnino non dixisse, sibi volunt, sed valetudinis infirmitate motum esse, ut Demosthenem adjutorem (*συνήγορον*) sibi adhibuerit. Lex fuit Atheniensibus ut suam quisque causam ageret [3]): si quis qualibet causa motus non se solum sed *συνήγορον* quoque verba facere voluit, eum causam cur hoc fieret protulisse putandum est. Quamobrem Demosthenes etiam in orat. Leptin. 1, contra Androt. 1, cur verba faciat, dicit et quasi se excusat. Philocrates quominus

---

1) cf. Schaefer, Demosthenes und seine Zeit II, 154—165. G. Grote, history of Greece XI, 508 sq.

2) Fr. Franke, Prolegomena in Demosthenis orationem de falsa legatione p. 25—29.

3) Meier und Schoemann, der attische Process p. 707.

solus causam et defensionem perduceret valetudine se prohiberi dixisse videtur, quibus verbis Demosthenem *συνήγορον* introduxit[1]). Demosthenis verba pro cor. 21 *ἐγὼ δ' οὐδὲν οὐδαμοῦ* nihil ad hanc rem pertinent: nam toto hoc loco alia de re sermo non est, quam de pace a Philocrate suasa: 21 *ὁ μὲν πρῶτος εἰπὼν καὶ μνησθεὶς τῆς εἰρήνης Ἀριστόδημος ἦν — · ὁ δ' ἐκδεξάμενος καὶ γράψας — Φιλοκράτης — · οἱ δὲ συνειπόντες Εὔβουλος καὶ Κηφισοφῶν, ἐγὼ δ' οὐδὲν οὐδαμοῦ:* verba *οὐδὲν οὐδαμοῦ* nihil aliud sunt, quam hyperbole rhetorica.

Res autem ipsa nihil offensionis habet: illis temporibus inimicitiam et dissensionem nullam inter Demosthenem et Philocratem Aeschinemque fuisse, saepius videbimus et demonstrabimus[2]).

De redimendis iis Atheniensibus, qui capta Olyntho Philippo in manus inciderant, Aristodemum legatum ad Philippum missum esse Aeschines narrat: multa et hunc et captos Athenienses, quos Philippus sine pretio dimisisse videtur, de Philippi liberalitate et benevolentia locutos esse; tum Philocratem, ut *περὶ εἰρήνης καὶ τῶν κοινῇ συμφερόντων Ἀθηναίοις καὶ Φιλίππῳ* ad regem decem legati mitterentur, suasisse ejusque rogationi Demosthenem omnibus viribus suffragatum esse.

Quae civitatis conditio illo tempore fuerit non aliter quidem atque Demosthenes exponit, sed longior est quam ille et res quas narrat ita describit et ante oculos ponit, ut civitati summopere adversariae et alienae fuisse videantur: miserandum in modum cum civitate actum esse dicit, quum duces, quos Athenienses exercitui et classi praefecissent, id solum quod ex sua re fuisset egissent et civitatis commoda neglexissent. Se ipsum summo studio adversus Philippum stetisse et omnes Graecos ad bellum contra Macedones suscipiendum incitasse nullo loco negat: postquam nihil se profecturum esse, ut Graecos intimo foedere contra regem conjungeret, sed Athenienses solos desertosque esse et fore intellexit, pacem suasit dicens 164 *τοῖς καιροῖς συμπεριφέρεσθαι ἀνάγκῃ πρὸς τὸ κράτιστον καὶ τὸν ἄνδρα καὶ τὴν πόλιν.*

Si has res quas et Demosthenes et Aeschines proferunt inter se compares et solum colorem quem illis inducunt detergas, in omnes partes eas consentire inter se videbis. Sed hoc jam loco artem sophisticam, quam Aeschines adhibet, ut ea quae Demosthenes confirmat frangat et diluat, videre et mirari licet. Demosthenes de iis quae Aeschines egit, ante-

---

1) Cfr. Westermann, de litibus quas Demosthenes oravit ipse p. 33 sq. Schaefer l. l. 2, 155 not. 5.

2) Cfr. G. Grote l. c. XI, 511—15.

quam in Macedoniam profectus est, hunc non solum non vituperat, sed probat et laudat: ea omnia vel maxime praeclara et e dignitate urbis dixisse eum et egisse 306 Demosthenes dicit. Quid Aeschines contra? 79: *ἐπιτιμᾷς δὲ μοι καὶ τὴν ἐν τοῖς Μυρίοις ἐν Ἀρκαδίᾳ δημηγορίαν καὶ πρεσβείαν*: ita saepius singulas ex orationis contextu criminum partes eripit et, multis verbis refellens, omnia quae Demosthenes afferat crimina eodem modo ficta esse judicibus dicit.

Quam artem sophisticam per totam orationem ab Aeschine adhiberi saepius videbimus: qua autem ratione ipso primo orationis initio hunc statum sibi comparet et fundamentum quoddam ponat, ex quo totam defensionis et refutationis aedem exstruat, jam intelligas. Postquam enim in prooemio infirmissima accusationis crimina et quae maxime miserationem commoveant in unum locum composuit, adjicit 11: *ᾗ δ' ἡγοῦμαι σαφεστάτους μοι τοὺς λόγους ἔσεσθαι καὶ γνωρίμους ὑμῖν καὶ δικαίους, ἐνταῦθεν ἄρξομαι, ἀπὸ τῶν περὶ τῆς εἰρήνης λόγων καὶ τῆς αἱρέσεως τῆς πρεσβείας: οὕτω γὰρ ἂν μάλιστα καὶ μεμνήσομαι καὶ εἰπεῖν δυνήσομαι καὶ ὑμεῖς μαθήσεσθε.* Tum verbose nobis describit illa tempora, quae primae legationi antecesserunt. Quibus de temporibus quum in Demosthenis oratione ne unum quidem verbum dicatur — si ea exceperis, quae Demosthenes ipso de Aeschine dicit, quid egerit et dixerit ad bellum contra Philippum movendum —, mireris fortasse, quod Aeschines de iis dicat, quae crimini ei non dentur. Sed qua de causa hocfiat vide. Solas res narrare videtur Aeschines: sed singulis verbis et sententiis sensim sensimque totam accusationem tantum in modum a vero ejus sensu detorquet, ut Demosthenes postremo in culpa esse videatur, non Aeschines.

Quem ad finem longa illa narratio spectat, quam 12 sq. affert et quae ab illis orationibus, quas Demosthenes saepe irridet, longissime distare videtur; est enim Aeschinis, ut res quas affert a primis initiis tractet easque, ne quid praetereat, in omnes partes digerat: nam et ipso loquendo delectatur et diligentem profundamque rerum cognitionem in medium proferre vult; sed nostro loco haec non est causa, cur tot verba faciat: omnia ad unum idemque spectant, ut suspicionem invidiam odium in Demosthenem moveant.

Qua ratione gradatim ad hunc finem perveniat breviter demonstrabimus: 12 nihil suspiciosi continet; 13 Philocratem, ut pax cum Philippo iniretur, operam dedisse dicit; 14 Philocratem a Lycino accusatum a Demosthene defensum esse, qui *κατέτριψε τὴν ἡμέραν ὅλην ἀπολογούμενος:* addit haec verba, quia Philocratem et Demosthenem intima amicitia et animorum consensu conjunctos fuisse demonstrare studet, sed suspicionem in eorum consilia nondum movet. 15 de iis Athe-

niensibus qui Olynthi capti essent ut legati ad Philippum mitterentur, captorum propinquos contendisse narrat: *παρελθόντες δ' αὐτοῖς συνηγόρουν Φιλοκράτης καὶ Δημοσθένης ἀλλ' οὐκ Αἰσχίνης:* qua de causa haec omnia dicat Aeschines, jam suspicari licet. Itaque etiam sequentibus paragraphis res afferuntur, quae a lite prorsus abhorrere videntur, sed Demosthenes eo melius pro pace ineunda agens judicibus ante oculos ponitur: *εἷς δὲ τῶν βουλευτῶν ἦν Δημοσθένης ὁ ἐμὸς κατήγορος,* quae verba aeque atque *κανταῦθ' οὐδὲν ἀντεῖπεν Δημοσθένης ἀλλὰ καὶ στεφανῶσαι τὸν Ἀριστόδημον ἔγραψε* jam nvidiam movent.

Postquam deinde, qua ratione Demosthenes ut pax fieret omnes vires contenderit, sequentibus paragraphis exposuit, concludit 20: *ἡ μὲν τοίνυν ἐξ ἀρχῆς ἔνστασις τῶν ὅλων πραγμάτων ἐγένετο οὐ δι' ἐμοῦ* — id quod Demosthenes accusans dixit — *ἀλλὰ διὰ Δημοσθένους καὶ Φιλοκράτους.* Hoc modo efficit Aeschines, ut id, quod ipse sentit de rebus, in mentes audientium quasi irrepat: quem ad finem haec omnia, quae afferuntur, spectent quum nesciant libenter accipiunt, ita ut postrema verba *ἡ μὲν τοίνυν ἐξ ἀρχῆς ἔνστασις τῶν πραγμάτων ἐγένετο — διὰ Δημοσθένους* nemini praeter opinionem dictum esse videantur. Nanc fundamentum jactum est, ex quo totam defensionem exstruit. Quum tota Aeschinis oratio, tum haec expositio, qua audientium animos permulcens quasi et deludens a veritate removet et in suam sententiam pellicit, summa arte et mirabili calliditate composita est.

Longissime ab eo quod querendum nobis proposuimus, nos aberrasse fortasse putes. At quum res, quas Demosthenes et Aeschines inducunt, quae revera fuerint, ostendendum nobis sit et quum, ut id efficiamus, ea quae uterque enarrat velamento exuere debeamus, quo res artificiose obducit, maxime interesse videtur, ut ipsam hanc artem sophisticam, qua ornatus omnia a veritate detorquet et ea quae adversarius dicit et agit suspecta invisaque efficit, quae fecit ipse excusat probat praedicat, diligentius cognoscamus et percipiamus. Hoc modo magis idonei fiemus ad ea quae narrantur examinanda et ad veritatem historicam explorandam. Ad quod illa Aeschinis narratio summum adjumentum affert.

Hoc ex iis, quae dicunt ipsi et quae alio loco affirmabimus et probabimus, pro certo habendum est, Demosthenem et Aeschinem illis temporibus, quae primae quam Athenienses ad Philippum miserunt legationi antecesserunt, in administranda civitate idem fere spectasse et egisse. De illo tempore et de iis, quae ipse egerit et secutus sit, ob eam causam nihil dicit Demosthenes, quod ad litem ipsam quam orat nihil omnino pertinent: hic enim multo magis rem ipsam

sequitur, quam Aeschines, qui quam maxime potest judicum animos ad res quae sunt minoris momenti avertere studet.

Etiam de prima legatione copiosius et abundantius loquitur Aeschines, quam Demosthenes. Dem. de f. l. 13: *προελθὼν τοίνυν ἐμοί* (Aeschines) *μετὰ ταῦτα συνετάττετο κοινῇ πρεσβεύειν, καὶ ὅπως τὸν μιαρὸν καὶ ἀναιδῆ φυλάξομεν ἀμφότεροι τὸν Φιλοκράτην πολλὰ παρεκελεύσατο, καὶ μεχρὶ τοῦ δεῦρ᾽ ἐπανελθεῖν ἀπὸ τῆς πρώτης πρεσβείας ἐμὲ γοῦν διεφθαρμένος καὶ πεπρακὼς ἑαυτὸν ἐλάνθανεν.* Latius de itinere agit 163—65: nam comparat hoc tempus cum secunda legatione: summo studio et alacritate profectos esse legatos: ut celerrime Oreum venerunt, quamquam Halus obsidebatur, tamen eo trajecerunt et per hostilem exercitum Pagasas et progressi Larissam abierunt. 316 sq.: *ἐπειδὴ δ᾽ ἤλθομεν ὡς αὐτὸν* (Philippum) *ἡμεῖς οἱ πρέσβεις, ἐμισθώσατο μὲν τοῦτον εὐθέως ὅπως συνερεῖ καὶ τῶν τὰ δίκαια βουλομένων ἡμῶν πράττειν περιέσται, συνέγραψε δ᾽ ἐπιστολὴν ὡς ὑμᾶς ᾗ μάλιστ᾽ ἂν ᾤετο τῆς εἰρήνης τυχεῖν.* Idem 307. De hac epistola etiam 41: *εἰ καὶ συμμαχία προςγένοιτ᾽ αὐτῷ γράψειν ὡμολόγει ἡλίκα τὴν πόλιν εὖ ποιήσει.* Quae ibi egerint legati Demosthenes nihil nisi 171 captivis se promisisse dicit, *λύτρα κομιεῖν καὶ σώσειν εἰς δύναμιν.*

Quum Demosthenes, donec Athenas redierint legati a prima legatione, se quidem non animadvertisse corruptum esse Aeschinem 13 dicit, recte mireris quod 316 et 307 sq. dicat: Philippus *ἐμισθώσατο τοῦτον εὐθέως:* nam quum hoc nec firmet nec probet ullo verbo, haec sola opinio esse videtur. Falsa est autem oppositio illa, quam 164 inducit: *τότε μὲν τὸ τὴν εἰρήνην ὡς τάχιστα γενέσθαι ταῦτ᾽ ἦν ὑπὲρ Φιλίππου· νῦν δὲ τὸ ὡς πλεῖστον τὸν μεταξὺ χρόνον διατριφθῆναι τοῦ τοὺς ὅρκους ἀπολαβεῖν —,* quibus verbis legati jam primo in itinere Philippi commoda secuti esse dicuntur; nam quum 307 ipse ea, quae Aeschines ante primam legationem egerit, probet et laudet Demosthenes et 16 illo tempore eum Philippo se nondum vendidisse dicat, sibi ipse repugnat. Si Aeschines usque ad primam legationem incorruptus fuit nec regi venditus, etiam quum iter faceret in Macedoniam regis commoda spectare nondum potuit: quis enim in itinere eum corrumperet et regi conciliaret? Et in Macedonia demum corruptum eum esse ipse dicit Demosthenes 316: *ἐπειδὴ — ἤλθομεν — τοῦτον — ἐμισθώσατο εὐθέως.* Itaque verba quae 13 — 316 — 307 — 165 afferuntur inter se dissentiunt. Jam igitur intelligimus etiam Demosthenem artem sophisticam adhibere ad augenda crimina, quamquam rem ipsam sequitur et in universum ad veritatem loquitur, in multis tamen rebus occasione data, ut invidiam majorem in Aeschinem moveat, fallere et decipere judices studet. Maxime id sequitur

Demosthenes, ut Aeschinem, quem in secunda legatione corruptum esse a Philippo verisimile est, jam temporibus antecedentibus pro Philippi commodis dixisse et egisse demonstret: quod studentem saepe sibi ipsum repugnare Demosthenem videbimus. Verbis 307 et 316 in prima legatione a Philippo corruptum esse Aeschinem certe judicibus persuadere vult; sed argumentis quidem hanc opinionem nullis probat.

Aeschines de prima legatione copiosius etiam, quam de tempore quod illi antecessit, loquitur 2, 20—44. 56. 81. 89. 97. 123. Se una cum Demosthene Jatrocle Aglaocreonte iter fecisse dicit, sed addit: (Demosthenes) **οὐκ ἐμὲ πείσας.** Ipsa hac re id quod jam diximus, Aeschinem et Demosthenem in civitate administranda fere idem secutos esse, firmatur; nam si Demosthenes revera tam arcte cum Philocrate conjunctus fuisset, ut Aeschines dicit, dubitari non potest, quin etiam in itinere Demosthenes et Philocrates intima societate conjuncti profecturi fuissent. Videmus enim ex iis quae et Aeschines (**πεῖσας τοὺς μετ᾽ ἐμοῦ** Aglaocreontem et Jatroclem) et Demosthenes (**συνετάττετο κοινῇ πρεσβεύειν**) de itinere referunt, legatos omnes quidem idem iter fecisse, sed ita ut ii, qui amicitia aut animorum consensu conjuncti erant, arctiorem inter se societatem compararent, quum eodem hospitio aliisque rebus una uterentur.

Tum Aeschines id, quod Demosthenes 13 dixerat, Aeschinem multum hortatum esse, ut **τὸν μιαρὸν καὶ ἀναιδῆ Φιλοκράτην** caveret, refutare studet: sed nihil probat id quod dicit. Quod Aeschines hoc loco vocem **θηρίον** adhibet 20, qua Demosthenem usum facit, non mirandum est: quamquam nec Demosthenes neque Aeschines talibus verbis uti dubitant, quibus adversario maledicant, hoc tamen loco Aeschines adversarium ut hominem incultum et agrestem ante oculos ponere studet.

Demosthenes iter quo modo factum sit narravit et legatos sine mora in Macedoniam profectos esse, ut quam celerrime ad Philippum venirent, contendit: Aeschinem quum adhuc solis de rebus locutum esse, quarum Demosthenes ne mentionem quidem fecit, viderimus, nunc, quum tempora quae antecesserunt tam diligenter tractaverit, etiam de itinere, praesertim quum Demosthenes id crimini ei det, dictutum esse recte expectes: sed hoc totum silentio praeterit: cur tam celeriter profecti sint non dicit, sed arrepta occasione id unum sequitur, ut Demosthenem **ἀφόρητον καὶ βαρὺν ἄνθρωπον** judicibus describat; tum verbis **ἵνα δὲ μὴ μακρολογῶ τὴν τούτου διεξιὼν ὑπερηφανίαν** sermone interrupto, ad tempus quod in Macedonia egerunt describendum transit.

Demosthenem id quod contendat, Aeschinem jam, quum iter in Macedoniam fecerint legati, corrumptum sola Philippi

commoda secutum fuisse, argumentis nec probare nec firmare, immo ipsum sibi expugnare, jam supra diximus. Cur, quaeras fortasse, Aeschines ipsa Demosthenis verba inter se discrepare et repugnare non premit nec judicibus demonstrat? Et quum per totam orationem Aeschines artificiosissime ea, quae adversarius errat, de quibus sibi ipse repugnat, ubi nudum dat latus, respiciat detegat refutet, hoc loco quod Aeschines nullam hujus Demosthenis dissensionis mentionem faciat, Demosthenem haec verba omnino non dixisse, docere persuadeas tibi fortasse. Reperiuntur quidem verba, quae ad hanc Demosthenis dissensionem referri possunt 23: *Ἀθήνησι μὲν ἦμεν ἄξιοι τῆς ὑμετέρας πίστεως, οὐ γὰρ ἄν ποτε ἡμᾶς εἵλεσθε, ἐλθόντες δ' εἰς Μακεδονίαν ἐξαίφνης ἐγενόμεθα προδόται* et 123: *φῂς γάρ με ἐν μὲν τῇ πρώτῃ πρεσβείᾳ λαθεῖν σαυτὸν συνεστηκότα ἐπὶ τὴν πόλιν, ἐν δὲ τῇ ὑστέρᾳ αἰσθέσθαι, ἐν ᾗ συναγορεύων μοι φαίνει· κἀκείνης μὲν ἅμα κατηγορῶν οὔ φῂς κατηγορεῖν:* sed verisimilius est, Aeschinem his locis universam ad primam legationem spectare, in qua Demosthenes jam Philippi commoda secutum esse Aeschinem dicit, non ad hoc crimen singulare, legatos tam celeriter iter fecisse, quia ex regis utilitate fuerit: nam hoc si premere voluisset Aeschines, majore cum vi et verborum copiositate haud dubie facturus fuisset. Causa autem est cur haec Demosthenis verba, quae inter se dissentiunt, non respiciat, quod Aeschines id solum sequitur, ut omnia, quae Demosthenes ei crimini dat et quae, quum vera sint, negare non potest, silentio praetereat et defensionem ita paret, ut Demosthenem mendacem esse et calumniantem doceat. Legatos autem tam celeriter iter fecisse, ut Demosthenes dicit, Aeschines negare non potest; itaque de ea re omnino non dicit, nam, si de ea dicturus fuisset, Demosthenem vere dixisse, concedendum ei fuit [1]).

Ipso igitur de itinere perpauca dicit Aeschines, multa vero de tempore quod in Macedonia egerunt legati: hoc enim loco de orationibus, quas apud Philippum habuerat, dicendum fuit et hic totam oratoris arrogantiam et ostentationem mirari licet. Nostrum non est, ut hanc orationem tractemus; id solum dicere debemus, Aeschines oratio quin inter ceterorum legatorum orationes verborum copiositate excelluerit, dubitari non posse. Ipsis ex Aeschinis verbis 25 *τὰ μὲν καθ' ἕκαστα τῶν ἐκεῖ ῥηθέντων ὑπ' ἐμοῦ καὶ τοὺς πρὸς ταῦτα λεχθέντας ὑπὸ Φιλίππου λόγους ἐν τῷ δήμῳ σαφῶς ἀπήγγειλα — νυνὶ δὲ πειράσομαι διὰ κεφαλαίων ὑμᾶς ὑπομιμνήσκειν* intelligere licet, quot verba quum in Atheniensium comitiis de legatione referens, tum quot verba ipsum apud Philippum fe-

1) Toto de hoc tempore cfr. Schaefer l. c. 180—87. G. Grote l. c. XI, 527 sqq.

cerit. Quantopere Atheniensibus historiae et mythi antiqui, maxime qui ad Athenas celebrandas pertinerent, placerent Aeschines optime scivit: et ad hanc orationem aeque apta sunt illa Demosthenis verba, quae de alia ejus oratione adhibet 23: *εὐδοκιμῶν δ' ἐπὶ τούτοις εἰκότως καὶ δοκῶν καὶ ῥήτωρ ἄριστος εἶναι καὶ ἀνὴρ θαυμαστός κατέβη* —. Ad litem ipsam tota oratio nihil pertinet, sed oratorem egregium et mirabilem, qui totam vim oratoriam ad civitatis salutem conferat, judicibus se in conspectum dare vult.

Post Aeschinem Demosthenes verba facit: at quam misere et tenuiter! 34: *φθέγγεται τὸ θηρίον τοῦτο προοίμιον σκοτεινὸν καὶ τεθνηκὸς δειλίᾳ καὶ μικρὸν προαγαγὼν ἄνω τῶν πραγμάτων ἐξαίφνης ἐσίγησε καὶ διηπορήθη, τελευτῶν δ' ἐκπίπτει ἐκ τοῦ λόγου.* Demosthenem revera haesitasse et memoria falsum esse a fide non abhorret [1]). Quae Aeschines dicit legatorum testimonio probantur; num etiam Demosthenem perturbatum esse testificati sint, nescimus. Ceteros legatos, quos Aeschines saepe et Demosthenes quoque testes citat, falsa affirmasse et hoc modo perjuria fecisse, putare non debes: Athenienses decem illos viros ter in legationes miserant, quos plane pravos fuisse et, ut Aeschini faverent, mentitos esse et pejerasse vix putari potest; sed testimonia litteris consignata ita composita fuerunt, ut verba Aeschinis in universum quidem confirmarent, sed quum omnia quae ille dixerat repetere non possent, hic multo plura et ea gravissima, quae per testes non confirmata sunt, addidit.

Attamen utut se res habet, sive Demosthenes haesitaverat et perturbatus erat, sive Aeschines fidem veritatis non servat, id quod hic voluit assequitur: Demosthenes loquendi imperitissimus, homo miserrimus et tenuissimus esse videtur: quin vero Aeschines, quum pluris esse adversarium talem describere, ut risum moveat, quam ut malus et pravus esse videatur, tum Athenienses conviciorum dicteriorum derisionum summos omnium amatores esse, sciverit, quis est qui dubitet?

Quae Demosthenes coram Philippo dixerit, nescimus; de Amphipoli quoque verba eum fecisse, Aeschines negare non potest. Etiam tunc Demosthenem idem secutum esse, quod Aeschines voluit, et ex hac sententia verba apud Philippum fecisse, immo etiam Aeschinem, quem usque ad illud tempus summam, ut bellum omnibus viribus gereretur, operam dedisse, Demosthenes ipse dicit, acrius et bellicosius quam hunc locutum esse persuasissimum nobis habemus. Itaque id quod Aeschines dicit, se a Demosthene vituperatum esse quod tam

1) Cfr. Curtius, griech. Geschichte III, 608 sq. G. Grote l. c. XI, 523.

acriter dixisset, qua re non pacem sed bellum gravissimum parari, a fide omnino non abhorret. Quamobrem Philippus maxime ad Aeschinem verba facit; nam ut eos, qui acerrime ut bellum contra Philippum continuaretur postulaverunt, sibi conciliaret, maximi esse intellexit. Aeschines quidem dicit 38: *ἴσως γὰρ οὐδὲν τῶν ἐνόντων εἰπεῖν ὥς γε οἶμαι παρέλιπον* [1]).

De reditu ex Macedonia Aeschines 40 sq. refert. Etiam de hoc tempore omnia quae dicit, eo solo consilio profert, ut Demosthenem malevolum insidiosum invidiosum esse doceat, quem accusationem contra Aeschineminstruxisse, ne quis miretur. Etiam de his rebus legatos testimonia dedisse verisimile est; sed quem in modum testimonia composita sint et quas singulas res affirmaverint, ex verbis Aeschines 44 *μέχρι μὲν οὖν τούτων οἱ συμπρέσβεις εἰσὶ μοι μάρτυρες* —, 55 *ἀνάγνωθι δὴ καὶ τὴν τῶν συμπρέσβεων μαρτυρίαν ἵν' εἰδῆτε ὦ Ἀθηναῖοι ὅτι Δημοσθένης οὐχ ὑπὲρ τῆς πόλεως εἰπεῖν δύναται ἀλλ' ἐπὶ τοὺς συσσίτους καὶ ὁμοσπόνδους μελετᾷ* — 56 *τὴν μὲν τοίνυν κοινωνίαν τῶν περὶ τῆς εἰρήνης πράξεων οὐκ ἐμὴν καὶ Φιλοκράτους, ἀλλὰ Δημοσθένους καὶ Φιλοκράτους εὑρίσκετε, καὶ τὰς πίστεις τῶν εἰρημένων ἱκανὰς ὑμῖν οἶμαι παρεσχῆσθαι·* — *τῶν ἐν Μακεδονίᾳ ῥηθέντων καὶ τῶν κατὰ τὴν πορείαν ἡμῖν συμβάντων τοὺς πρέσβεις ὑμῖν μάρτυρας παρεσχόμην* — intelligi non potest.

Res ipsae quas Aeschines narrat verisimilitudini non repugnant; cur non putes Demosthenem huic promisisse *ἔρανον συστήσειν*? illi ut imperium adspiceretur opem se laturum esse? Aeschini de egregia eloquentia — ironice fortasse ut saepissime pulchris ejus et longis orationibus illudentem — gratulatum esse? se ipsum quod perturbatus esset et haesitasset derisisse? Philippum laudasse?

Tum Aeschines, se et Philocratem et ceteros legatos a Demosthene foedere obstrictos esse, narrat ad ea dicenda, quae postea pro contione retulerint. Philippi moribus amabilibus legatos commotos esse, ut saepissime de iisdem et de aliis, quae ad Philippum pertinebant, rebus verba facerent, pro certo habere debemus: nam ipsis ex iis quae Aeschines dicit intelligitur; Larissae quoque sermo in Philippum incidisse videtur: legati regem laudabant, hic memoriam ejus, ille amabilitatem alii alia praedicabant; Demosthenes tantas laudes coram populo Atheniensium legatos de rege non habituros esse putat, quippe qui per decem annos contra Philippum bellum gesserint; legati se dubitaturos non esse respondent ea, quae dixerint de Philippo, etiam coram Atheniensibus,

---

1) Cfr. Schaefer 2, 187—93. G. Grote l. c. XI, 528—30.

quum ex veritate sint, repetere: haec omnia contra veritatem nullo modo repugnare videntur.

Tum Aeschines verba addit 43: *ἀναισθήτως δὲ ἡμῶν ἐχόντων καὶ τὴν ἐπιβουλὴν οὐ προορωμένων ἣν αὐτίκα ἀκούσεσθε εἰς συνθήκην τινὰ ἡμᾶς κατέκλησεν ὑπὲρ τοῦ ταῦτ' ἐρεῖν πρὸς ὑμᾶς.* Quae si vera essent, Demosthenem profecto insidiose et perfidiose egisse, probatura essent; nam eo solo consilio pacisci potuit cum legatis, ut postea ea quae referrent vituperaret et derideret. Sed talem perfidiam et malitiam Demosthenis fuisse, nobis persuadere non possumus; aliae res non sunt, quae talem eum fuisse demonstrent, sed semper describitur ut magnanimus et excelsus, hoc autem augusti et humilis animi esset: itaque hanc quam Aeschines profert rem in dubitationem vocare licet.

At obstat quod legati id ipsum testificantur, quos diversas singulas res affirmavisse, verba *εἰς συνθήκην ἡμᾶς κατέκλησεν* 43 neglexisse et omisisse putandum non est: nam ipsum hoc *κατέκλησεν* sqq. summa totius sententiae est: si pactio non facta esset, de invidia et malitia Demosthenis sermo esse non posset; itaque etiam hanc pactionem inter Demosthenem et legatos factam per testes confirmatam esse putandum est, praesertim quum Aeschines ipso de testimonio dicat 55: *ἵν' εἰδῆτε — ὅτι Δημοσθένης ἐπὶ τοὺς συσσίτους καὶ ὁμοσπόνδους μελετᾷ.* Itaque ut quae vera sint discernamus, diligentius jam Aeschinis verba examinemus.

Verba 48 *ἀπήντησα καὶ πρὸς τὸν λόγον ὃν ἐν τοῖς συμπρέσβεσι διωμολογησάμην* quin ipsam ad hanc pactionem pertineant, quam legatos cum Demosthene iniisse dicit Aeschines, dubitari non potest; sed haec non est pactio inter legatos ceteros et Demosthenem facta, sed id quod inter legatos convenit haec vox *ἐν τοῖς συμπρέσβεσι διομολογήσασθαι* significat: verba *εἰς συνθήκην κατέκλησεν* 43 et *ἀπήντησα καὶ πρὸς τὸν λόγον ὃν ἐν τοῖς συμπρέσβεσι διωμολογησάμην* valde inter se differunt. Itaque haec jam verba, quomodo res se habuerit, ut intelligamus efficiunt.

Legatos inter se constituisse, quid de legatione referentes singuli pro concione dicerent, verisimillimum est: quod si factum non esset, primus qui exstitit omnia quae referrentur digna fortasse retulisset, ceterique nihil quod dicerent habuissent; itaque, quid quisque referret, inter eos antea convenisse pro certo habemus. Cujus sententiae tota de legatorum relatione Aeschinis narratio testis est.

Quae quum ita sint, quin Aeschines 42 sqq. de hac inter legatos facta pactione verba faciat, non dubitamus. Sed quaerendum est, num opprobrium et crimen calumniae et malitiae, quod Demostheni objicit, recte se habeat: ipsa verba Aeschinea ad veritatem nos adducunt: dicit enim Demosthe-

nem miratum esse et dubitasse, ita dicturos esse legatos pro concione; illo igitur jam die de talibus Philippi laudibus quid cogitaret, elocutus est. Itaque res sic habere videtur: Larissae sermo incidit in Philippum, quem legati et ipse Demosthenes laudabant et praedicabant; unus et alter, se id quod dicerent etiam pro contione populo relaturos esse, dicebant, Ktesiphon de amabilitate et pulchritudine regis, Aeschines de memoria ejus, alii de aliis rebus verba se facturos esse. Quam pactionem fuisse Aeschines dicit (*συνθήκην τινά*), sed non ita hoc intelligendum est, legatos obstrictos et devinctos fuisse, ut omnia haec dicerent, sed convenerat inter eos ut singuli de his rebus dicerent: Demosthenes ita eos pro contione dicturos esse dubitat: nam tales laudes, de pulchritudine, de memoria aliisque rebus habitae, non legationis relationes sunt. Aeque atque illo die, quum de his rebus inter se verba facerent legati, ipsa pro contione mirari potuit Demosthenes, quod talia verba facerent: haec non est calumnia nec malitia.

Omnia igitur quae Aeschines narrat revera ita facta esse possunt, si id solum exceperis, non a Demosthene pactione obstrictos esse legatos, sed pactionem omnino inter eos factam esse. Et jam considera quam facile legatorum ceterorum testimonio haec omnia affirmari potuerint: omnia quae Aeschines profert testificari potuerunt, quum vera essent, de pactione autem talia quaedam addere quae constitutum esse inter legatos, ut ea, de quibus convenisset inter eos, pro concione dicerent, affirmarent. Quis tam diligenter ad singula verba animum attenderet, quum Aeschines, priusquam testimonium recitaretur, quid affirmaret jam dixisset, et omnia testimonii verba omnia Aeschinis repetere viderentur? Ipsis in componendis his testimoniis summam artem et diligentiam Aeschinem adhibuisse, nobis quidem persuasissimum est; quae veras tantum res affirmare potuisse, jam diximus et alio quoque loco demonstrabimus. Nam cur omnes legatos pravos fuisse et perjuros putemus causa non est; sed Aeschinis fuit, ut eas res, quas sibi ad defensionem adjumentum allaturas esse putavit, in unum componeret, de iis rebus, in quibus summa sita est, pauca et incerta verba faceret, maxime autem ipsa in defensione ex veris rebus quae affirmabantur falsa concluderet: haec est ars Aeschinis sophistica.

Nam totam defensionem ita construit, ut ea quae Demosthenes ei exprobrat non se ipsum sed Demosthenem patrasse dicat. Demosthenem inde a primis temporibus, ut pax iniretur, studuisse, intima cum Philocrate societate conjunctum fuisse, quem a Philippo corruptum esse constabat; itaque ut culpa se ipsum absolvat, et omnia, quae Demosthenes fecerit, ad Philippi commoda pertinuisse ostendit et ad ea, quae ipse

sequatur, obtegenda, ceteros legatos, non se ipsum, pro Philippi commodis egisse, Atheniensibus persuadere voluisse Demosthenem. Itaque haec duo crimina, quae Aeschines adversario objicit, et *ἐπὶ τοὺς συσσίτους καὶ ὁμοσπόνδους μελετᾶν — ἀνωμαλία καὶ φθόνος — ἐπιβουλή* — alia, et Demosthenem ipsum corruptum fuisse, semper redeunt. Quod haec omnia ad litem ipsam non pertinent curae non est Aeschini: itaque omnia quae usque ad paragraphum 55 exponuntur, orationis prooemium esse certe dixeris; nam tales tantum res affert, quae id solum student, ut in se judicum benevolentiam, in Demosthenem invidiam moveant.

Postquam legati in senatu de legatione retulerunt et, Demosthene rogationem ferente, senatusconsultum, ut legati laudarentur et in prytaneum vocarentur, factum est, concio habita est, pro qua legati populo de legatione rationes reddiderunt. Quum summis laudibus regem tollerent legati, Demosthenes exstitit et legatos, quod hac ratione de legatione referrent, vituperavit. Omnia quae Aeschines narrat de hac concione, quae ceteri legati, quae Demosthenes dixerit, nullo modo a veritate abhorrent; eo ipso judicum animos decipit et sibi conciliat, ut ea quae nota iis erant omnia secundum veritatem dicat, ut etiam cetera quae dicat vera et recta esse putent. Maxime vero hoc nos movet, ut Aeschinem res pro veritate narrare putemus, quod in his Demosthenis verbis totam ejus ironiam et facetias, quibus ornatas esse omnes ejus orationes scimus, cognoscimus.

Attamen jam tunc Demosthenem cum ceteris legatis inimicitias habuisse, non sequitur; facetiae et sales tam proprii ejus sunt, ut ex omnibus ejus verbis eluceant; injurias et contumelias legatis non infert. Vide modo, quam ironice semper fere de Atheniensibus dicat Demosthenes; quomodo pigritiam inconstantiam levitatem saepe derideat, saepe acerbe vituperet; cur non de legatis haec diceret nulla inimicitia motus?

Tum Demosthenes psephismata quae Aeschines 45 memorat rogat. Quae quin jam in senatu Demosthenes perscripserit ibique probata sint, dubitari non potest; post illa Demosthenis verba quae Aeschines affert 53, *τὰ προβουλεύματα,* quae Demosthenes rogaverat, recitata sunt; pluria fuisse videntur: nam quum res plane inter se diversas tractent, etiam singularia de iis senatusconsulta perscripta fuerint necesse est. Quibus de rogationibus infra vide.

Priusquam de concionibus ipsis, quibus pax deliberata et facta est, agamus unam rem, quae ad conciones quidem pertinet, sed non ita cum iis conjuncta est, ut non ab universa quaestione separari possit, tractemus et ad finem perducamus. Demosthenes 16 Aeschinem pro pace Philocratea

locutum esse dicit *ἐφεστηκότων τῶν πρέσβεων καὶ ἀκουόντων, οὓς ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων μετεπέμψασθε ὑπὸ τούτου πεισθέντες, ὅτ' οὔπω πεπρακὼς αὑτὸν ἦν —,* quae Demosthenis verba Aeschines 57—62 refutat. In tabulario, ubi chartae publicae asservabantur, tempus, quo legati missi sint, et legatorum nomina litteris consignata custodiri dicit, quo, de hac re errari et mendacia proferri non posse, probare vult; tum dicit: *ταῖς δὲ ξενικαῖς πρεσβείαις ἡ βουλὴ τὰς εἰς τὸν δῆμον προσόδους προβουλεύει;* Demosthenem hortatur *ἐπὶ τὸ βῆμα τοῦτο ἐν τῷ ἐμῷ λόγῳ εἰπὲ, πόλεως ἧςτινος βούλει Ἑλληνίδος τοὔνομα, ἐξ ἧς ἀφῖχθαι τότε φῂς τοὺς πρέσβεις· καὶ τὰ προβουλεύματα αὐτῶν ἐκ τοῦ βουλευτηρίου δὸς ἀναγνῶναι, καὶ τοὺς Ἀθηναίων κάλει πρέσβεις, οὓς ἐξέπεμψαν ἐπὶ τὰς πόλεις μάρτυρας.* Concludit: *κἂν παρεῖναι καὶ μὴ ἀποδημεῖν, ὅτε ἡ πόλις τὴν εἰρήνην ἐποιεῖτο, μαρτυρήσωσιν, ἢ τὰς πρὸς τὴν βουλὴν προσόδους καὶ ψηφίσματα ἂν παράσχῃ ἐν ᾧ σὺ φῂς ὄντα χρόνῳ, καταβαίνω καὶ θανάτου τιμῶμαι.*

Tum etiam ex synedrii decreto, illo tempore legatos reversos nondum esse, percipi exponit: qua de causa *ὑφ' ὧν ἐξελέγχεται Δημοσθένης τὰς ἀποδημούσας πρεσβείας ἐπιδημεῖν φάσκων.* Ut de hac re certi aliquid reperiamus et statuamus, primum, quo tempore legati, de quibus sermo est, Athenis abierint, quaeratur necesse est. Quamquam de hoc temporis momento suspicari tantum licet et ex aliis rebus concludere, tamen ad finem satis certum quaestionem perduci posse nobis persuasum habemus.

Philippum Olynthum oppugnantem omnem, ut Athenienses ab auxilio Olynthiis ferendo retineret, operam dedisse verisimillimum est. Athenienses, quamquam Demosthene auctore ter milites et naves Olynthum miserunt, tamen belli continuandi nulla ratione amantes fuisse videntur: itaque hoc Philocratis psephisma jam priusquam Olynthus caperetur scriptum esse putare licet [1]); sed nobis quidem verisimilius esse videtur ipsa Olyntho capta Athenienses perterritos et paci cum Philippo summa pollicente ineundae studentes Philocratis rogationem accepisse. Verba Aeschinis 15 *ὑπὸ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς Ὄλυνθος ἥλω* huic sententiae non obstant: mentionem facit Aeschines Olynthi expugnatae, postquam de Phrynone et Philocrate narravit, quia id quod 15 narraturus est, multos Athenienses Olynthi captos esse, ipsa cum urbis expugnatione ita conjunctum est, ut mentione hujus rei opus sit.

Sed quaeritur quo temporis momento Olynthus expugnata sit. Dissentiunt inter se Grote et Schaefer, viri clarissimi,

---

1) Cfr. Boehneke, Forschungen auf dem Gebiet der attischen Redner 199. 235. 377. 732.

quorum alter [1]) primo anni 347 vere, alter [2]) jam aestate vel auctumno anni 348 urbem captam esse censet. Sed utramcunque sententiam sequimur, certo constare videtur, Olynthi expugnationem et Philocratis psephisma in unum idemque tempus incidisse (ὑπὸ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς Ὄλυνθος ἥλω); sequitur igitur totum tempus quod inter hoc prius et illud posterius psephisma, quo ut decem legati ad Philippum mitterentur qui de pace agerent rogavit Philocrates, intercessit, sola Aristodemi legatione eximi; nam postquam hic reversus est et de legatione retulit statim Philocrates psephisma tulit (Aesch. 2, 18: ῥηθέντων δὲ τούτων ἐν τῷ δήμῳ ψήφισμα ἔγραψεν Φιλοκράτης).

Sed etiam de hoc tempore, quo Aristodemus reversus, psephisma rogatum, legati profecti sint, dissentiunt viri doctissimi: Grote [3]) mense Septembri vel Octobri anni 347 legationis rationes reddidisse Aristodemum, Novembri Philocratem rogationem suam tulisse, Decembri legatos profectos esse putat; Schaefer [4]) Philocratem rogationem mense Gamelione ol. 108, 2 tulisse, qua lata statim legatos iter ingressos esse censet haud dubie. Tempus igitur, quod Schaefer inter Olynthum expugnatam et legatorum iter interpositum fuisse censet, unus fere annus cum dimidio est (inde ab aestate vel auctumno anni 348 usque ad mensem Februarium anni 346); Grote novem menses fuisse putat (inde a primo anni 347 vere usque ad mensem Decembrem ejusdem anni). Sed in hac saltem re Schaefer recte dicere videtur nobis, quod statim Philocratis psephismate perlato legatos iter ingressos esse censet: ipsa ex celeritate qua in itinere usi sunt (Dem. de f. l. 163) concludere licet, legatos paucis diebus post caduceatorem, cui revertenti Larissae obviam venerunt, et ipsos iter iniisse. Aequo modo relatio Aristodemi et Philocratis rogatio ita ut illa in mensem Septembrem vel Octobrem, haec in Novembrem incidant, separari non posse videntur nobis. Aristodemi relatio, Philocratis rogatio (cfr. ῥηθέντων τούτων ἐν τῷ δήμῳ ψήφισμα ἔγραψεν ὁ Φιλοκράτης), iter legatorum in unum haud dubie mensem incidunt. Quae quum ita sint non multum interest, utrum cum Schaefero mense Gamelione, an cum Grotio mense Decembri legatos profectos esse censeamus: ut nos putamus iter ingressi sunt fine anni 347 aut initio anni sequentis.

Tempus igitur quod inter Olynthum expugnatam rogationemque a Philocrate latam et primam de pace constituenda

---

1) Cfr. G. Grote l. l. XI, 489. 505.
2) Cfr. Schaefer l. l. II, 146 sq.
3) Cfr. l. l. XI, 518. 527 sq.
4) Cfr. l. l. II, 182.

ad Philippum missam legationem interpositum est, sola Aristodemi legatione eximitur. In hac re offendere non debemus. Aristodemus actor scenicus diu haud dubie apud Philippum, qui summus artium liberalium amator fuit, remansit. Etiam in aliis civitatibus per hoc tempus in scenam prodiisse videtur: nam Aeschines 19 dicit: (Demosthenes) *γράφει ἵνα ἀζήμιος ὢν ὑμῖν συμπρεσβεύῃ ὁ Ἀριστόδημος ἑλέσθαι πρέσβεις ἐπὶ τὰς πόλεις ἐν αἷς ἔδει Ἀριστόδημον ἀγωνίζεσθαι*, qua ex re apparet, eum ibi fuisse et se reversurum esse promisisse. Diu Aristodemum abfuisse ab urbe ita ut mandati paene oblitus esset, ex eo quoque intelligitur, quod senatu demum et populo eum incitantibus ad referendum prodiit[1]). Itaque id quod Aeschines 12 sqq. narrat recte se habet et nunc quaerendum est, quod hujus temporis, inde ab Olyntho capta usque ad Philocratis psephisma alterum, momentum aptissimum sit, in quo legatorum in alias civitates missorum iter ponamus.

Omnes qui de hac re egerunt viri docti ante aut statim post Olynthum captam legatos iter fecisse putant[2]): sed errare videntur. Ipsa Aeschinis verba illis temporibus, quibus Olynthus capta est, Athenis tantum pacis constituendae desiderium fuisse demonstrant, ut psephisma quondam scriptum, quod ne quis pacis mentionem faceret vetuit, abrogaretur et Philocrates psephisma suum perferret, qui accusatus magna judicum unanimitate culpa absolutus est[3]). Itaque hoc temporis momentum non idoneum esse videtur, in quo legationes in alias civitates Graecas missas ponamus. Regem jam tunc, ut Athenienses Olyntho expugnata et diruta urbis civibus venditis perterritos placaret et a bello majore cum vi continuando retineret, permulta promisisse et verisimillimum est et Aeschines dicit. Causa non est, cur hoc pacîs desiderium mox deseruisse Athenienses et novum belli gerendi studium exarsisse putemus. Aristodemus primo — si Grotium sequamur[4]) — anni 347 vere iter fecit; jam ante auctumnum hujus anni Athenienses de bello acrius gerendo cogitasse, nulla re probatur.

Aestatem anni 347 in Macedonia exegit Philippus. Maximis apparatibus et sollemnibus victoriam de Olyntho reportatam celebravit et ipso hoc regis otio et quiete maxime Atheniensibus persuasum est, de continuando bello nullo

1) Cfr. Grote l. l. XI, 518.
2) Cfr. Grote l. l. XI, 508 sq. Schaefer l. l. II, 156 sqq. Böhnecke l. l. I, 199. 235, 377. 732. Franke l. l. 19 sqq. Winiewski commentarius in Demosthenis orationem de corona 74.
3) Cfr. de hoc pacis cum Philippo ineundae desiderio G. Grote l. l. XI, 505—7. 516 sq.
4) Cfr. l. l. XI, 517.

modo eum cogitare, sed vero ex animo de pace cum Atheniensibus constituenda agere et promissa facere. Sed jam auctumno Antipatrum cum exercitu in Thraciam misit, quam sibi subjiceret [1]); eodem tempore Parmenio Thessaliam invasit Halumque obsessit [2]): facillime fieri potuit, ut is exercitum contra Phocenses duceret Thermopylasque occuparet. Hoc tempore haud dubie Athenienses intellexerunt, Philippi promissa vana et irrita esse et totam Thraciam Chersonesumque et ipsam Graeciam summo in periculo esse. Athenienses non prius de hac re cogitasse et decrevisse etiam aliis rebus probatur. Themistocle archonte Timarcho et Demosthene senatoribus, ol. 108, 2, Athenienses ad defendendam urbem et bellum propulsandum denuo se praeparaverunt. Dem. de f. l. 286 sq. [3]). Timarcho auctore decretum est, ut is qui naves aut materiam navalem ad Philippum portaret supplicio afficeretur, Demosthene auctore curatum est, ut insulae et urbes Thraciae custodirentur, quem ad finem Chares naves et milites eduxit et cum Cersoblepte se conjunxit. Grote [4]) etiam eas res, quas Aeschines de f. l. 132 sqq. narrat, hoc tempore factas esse putat, sed errare videtur vir clarissimus: *αἱ σπονδαὶ μυστηριώτιδες* quarum mentio fit 138 minora sunt sacra Eleusinia, quae mense Anthesterione (Februario) celebrantur et verba *πρὶν ἐμὲ χειροτονηθῆναι πρεσβευτήν* 135 ad secundam legationem pertinent, cujus accusatur Aeschines. Sed jam ex illis rebus quas enarravimus perspicuum est non ante aestatem anni 347, ol. 108, 2 initium, Athenienses ad novum bellum se praeparasse. Nam usque ad hoc temporis momentum bellum finitum et pacem cum Philippo factum iri speraverunt: expeditione demum in Thraciam Thessaliamque facta et consiliis regis detectis, ex caeca fiducia animos et vires collegerunt. Mense Julio (Hecatombaeone) Demosthenes et Timarchos munera senatorum obierunt; non errare videmur, si omnia ea quae enarravimus auctumno effecta esse putemus. Nisi Philippus quid vellet ostendisset et ad hunc finem copias in Thraciam et Thessaliam eduxisset, Athenienses certe cauturi fuissent, ne his rebus regem, qui de pace ineunda pluries jam Athenis mentionem fecerat, irritarent et ad bellum acrius gerendum provocarent.

Hoc tempore haud dubie etiam legati ad civitates Graecas in Philippum evocandas ab Atheniensibus missi sunt. Aeschines in Peloponnesum legatus profectus est. Dem. de

1) Cfr. Schaefer l. l. II, 166 not. 3. 4.
2) Cfr. Grote l. l. XI, 520.
3) Cfr. Schaefer l. l. II, 165 sq. G. Grote l. l. XI, 512 not. 13.
4) Cfr. l. l. XI, 521 sq.

f. l. 304: *πρεσβεύων εἰς Πελοπόννησον* — (311: *νῦν τοίνυν ὑμᾶς οὐκ εἰς Πελοπόννησον δεῖ πρεσβείαν πέμπειν*); unicus legatus fuisse videtur, quem Athenienses in Peloponnesum miserunt; num praeter Arcades alias quoque civitates adierit, nescimus; Dem. de f. l. 11 *ἥκων ἐξ Ἀρκαδίας* nihil probat, sed aut sola in Arcadia aut postremo eum ibi fuisse demonstrat. Ceteri legati haud dubie in Asiae minoris urbes et insulas profecti sunt; Mytilenis hoc tempore tyrannis deleta et foedus cum Atheniensibus redintegratum est; ipso hoc anno Themistocle archonte legati Mytilenaeorum Athenis fuerunt [1]).

Atheniensium legatos diu Athenis abfuisse, a veritatis fide non abhorrere videtur; certi nihil habemus, quo mensem et diem profectionis statuamus; fine fortasse demum anni 347 mense Octobri vel Novembri iter susceperint. Nam quod Aeschines jam reversus erat, quum Philocrates psephisma rogaret, nihil obstat; celerrime Aeschines iter fecisse videtur: unius tantum Megalopoli habitae orationis mentio fit nec quum reverteretur, munus ad finem perduxerat: legationis quam Athenienses ad Philippum de pace ineunda acturam miserunt particeps fieri voluisse videtur; quod si non fuisset in Arcadia haud dubie remansisset: nam Atheniensibus persuadet, ut alios legatos in Arcadiam mittant, qui Philippi studiosos accusent.

Quae omnia reputantibus hoc constare videtur nobis, legatos 108, 2 demum, anni 347 auctumno, in civitates Graecas missos esse, auctoribus Aeschine et Eubulo; nam Demosthenes statim, quid ab illis expectari posset, intellexisse et praevidisse videtur. Itaque non improbabile est id quod Aeschines dicit, legatos, quum de pacis conditionibus deliberatum sit, nondum reversos fuisse [2]).

Sed jam videamus qua ratione Aeschines adversarii verba *ἐφεστηκότων τῶν πρέσβεων* — refutet. Statim jam habet aliquid offensionis, quod Aeschines totam defensionem paene in eo collocat, ut legatos, quos Athenienses in civitates Graecas miserant, reversos nondum esse demonstret. Nam quamquam hae duae res, reditus legatorum Atheniensium et adventus legatorum aliarum Graecarum civitatum, certam quamdam rationem inter se habent, tamen ex eo, quod Atheniensium legati nondum reversi erant, ceterarum civitatum legatos non adfuisse, non per se ipsum sequitur. Sed hoc non est unicum argumentum quo Demosthenis verba refutet; 58 sq. dicit: *ταῖς ξενικαῖς πρεσβείαις ἡ βουλὴ τὰς εἰς τὸν δῆμον προσόδους προβουλεύει,* quae senatusconsulta Demosthenem proferre non posse.

1) Cfr. Schaefer l. l. II, 435 not. 3.
2) Cfr. etiam G. Grote l. l. XI, 539 sq. not. 50.

Tota oratorum dissensio in Aeschinis arte sophistica posita esse nobis videtur. Illis temporibus in omnibus civitatibus Graecis factiones fuisse constat; hi Philippo omnibus viribus obstari ex Graeciae utilitate esse contenderunt, illi aut *φιλιππίζοντες* regi faverunt, quos plurimos fuisse ex iis quae Aeschines et Demosthenes dicunt intelligimus; aut omnino ut in quiete et pace viverent optaverunt. In omnibus autem civitatibus singuli saltem semper homines fuerunt, qui Philippum bello persequendum et delendum esse putarent et qui iis, quae Athenienses per legatos postulaverunt, suffragarentur adjutoresque essent. Quod ita se habuisse Aeschines ipse demonstrat, qui ex Arcadia reversus Athenienses, quum nihil profecisset, ut secundam legationem illuc mitterent movit. Quamobrem a civitatibus ipsis legatos, qui de foedere cum Atheniensibus ineundo paciscerentur, missos esse non putamus; at vero verisimillimum est, illos homines qui cum Atheniensibus animorum consensu conjuncti, ut bellum contra Philippum gereretur et cum Atheniensibus foedus iniretur, studuerunt, etiam per legatos hanc cum Atheniensibus societatem fovisse. Ita Aeschines (Dem. de f. l. 10. 303). Ischandrum in senatum et concionem introduxit: *παρὰ τῶν ἐν Ἀρκαδίᾳ φίλων τῇ πόλει δεῦρ' ἥκειν ἔφη.* Ischander Atheniensis fuit, quem, quum in Arcadia in scenam prodiisset, ea factio, quae foederi cum Atheniensibus ineundo operam dedit, legatum Athenas remisit. Ita quoque alios Athenis legatos fuisse posteriobus temporibus, qui de rerum statu se et eos a quibus missi erant certiores facerent, verisimile est; illo tempore quum Philippus nova in Thraciam et Thessaliam expeditione suscepta, quid in animo haberet, ostendisset, aut novum bellum summa omnium virium contentione suscipiendum aut totius Graeciae imperium regi concedendum esse, omnes homines recte de rebus judicantes putaverint necesse est.

In Atheniensium voluntate rerum summa sita esse videbatur: illae ceterarum civitatum factiones quae ut bellum contra Philippum ab omnibus Graecis susciperetur et Atheniensibus auxilium ferretur, contenderunt, anxia animorum attentione, quid Athenienses vellent decernerent facerent, observabant. Itaque quod legati Athenis praesentes fuerunt a veritate non abhorrere videtur; sed non legati fuerunt, qui certis cum mandatis ipsis a civitatibus Athenas missi erant, sed a partibus singulis solum ad eum finem, ut de Atheniensium voluntatibus decretis apparatibus se docerent. Tales fuerunt legati, quos Phocenses Athenas, quum secunda legatio a Philippo reversa esset, ut quid legati referrent et Athenienses decernerent renuntiarent, miserant; Dem. de f. l. 59: *παρῆσαν γὰρ οἱ τῶν Φωκέων πρέσβεις ἐνθάδε καὶ ἦν αὐτοῖς*

καὶ τί ἀπαγγελοῦσιν οὗτοι καὶ τί ψηφιεῖσθ' ὑμεῖς ἐπιμελές quos Aeschines contemptim *δρομοκήρυκας* vocat 130. Qui legati ut in concionem introducerentur, senatusconsulto haud dubie opus non erat; ii cives quorum hospitio utebantur introduxerunt eos: nam quae in concionibus aut in senatu referrent, non mandata iis erant.

Huic sententiae Aeschinis verba respondent, quae omnia, ut a Demosthene *τὰ προβουλεύματα*, quibus in conciones introducti sint, et legatos, quos Athenienses miserant, proferat, postulant: quod quidem Demosthenes facere non potest, quum non una cum legatis Atheniensibus venissent nec per senatusconsulta introducti erant.

Quibus expositis jam quid verum sit in utriusque verbis cognoscere possumus: verba Demosthenis 16 *ἐφεστηκότων τῶν πρέσβεων καὶ ἀκουόντων οὓς ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων μετεπέμψασθε ὑπὸ τούτου πεισθέντες ὅτ' οὔπω πεπρακὼς αὑτὸν ἦν* recte se habent; nam quamquam Athenienses quum legatos emitterent id studuerunt, ut civitates ipsae, non singulae factiones, quae Atheniensibus faverent, legatos Athenas mitterent, qui de bello communiter contra Philippum gerendo agerent, tamen hi legati quos singulas partes misisse putamus, ipsis Atheniensibus legationibus ad iter Athenas faciendum moti erant: qua de causa Demosthenes sophistice quidem sed vere 16 loquitur. Sed etiam Aeschines nihil nisi verum profert: verba *ταῖς δὲ ξενικαῖς πρεσβείαις ἡ βουλὴ τὰς εἰς τὸν δῆμον προςόδους προβουλεύει* veritatem continent, quae omnibus Atheniensibus certo nota erat; Demosthenem senatusconsultum, quo legati in concionem introducti sint, proferre non posse optime scit; Atheniensium legatos Demosthenis verba affirmaturos non esse persuasissimum sibi habet; ipsum synedrorum psephisma legatos nondum reversos esse demonstrat: haec omnia vera sunt, sed Demosthenis verba non refutant: nam sola in voce *πρέσβεις* summa dissensionis sita est: Demosthenes eos legatos, qui nulla civitatis auctoritate moti venerant, *πρέσβεις* vocat; Aeschines eos *πρέσβεις* non esse putans omnino legatos adfuisse negat.

Quum in universa hac defensionis parte tum in eo tota Aeschinis ars sophistica apparet, quod primum recte verba Demosthenis *τοὺς γὰρ λόγους* sqq. 57 memorat, mox autem a re aberrans totam defensionem ita instruit, ut legatos nondum reversos fuisse illo tempore demonstret et hoc ipsum Demosthenem contendisse judicibus persuadeat, qua de re hic ne unum quidem verbum fecit; concludit igitur Aeschines *ὑφ' ὧν ἐξελέγχεται Δημοσθένης τὰς ἀποδημούσας πρεσβείας ἐπιδημεῖν φάσκων καὶ βουλομένων ὑμῶν ἀκροάσασθαι τὸ τῶν συμμάχων ἄκυρον πεποιηκὼς δόγμα.* 62. Callidissime ita facit orator: nam legatos nondum reversos fuisse optimo jure con-

tendere potest, quum verum esset et Athenienses id ipsi scirent; aliarum civitatum legatos adfuisse, non eodem jure negare potuit, quum fieri posset, ut judices quomodo res se habuisset memoria tenerent.

Verba orationum Ctesiphontearum non obstant. Demosthenes pro cor. dicit 23: *οὔ τε γὰρ ἦν πρεσβεία πρὸς οὐδέν' ἀπεσταλμένη τότε τῶν Ἑλλήνων ἀλλὰ πάλαι πάντες ἦσαν ἐξεληλεγμένοι οὔθ' οὗτος ὑγιὲς περὶ τούτων εἴρηκεν οὐδέν:* at jam vide quam sophistice haec dicta sint; nam quod dicit *τότε* recte se habet: illo temporis momento, quo de pacis condicionibus deliberabatur, quinque fere mensibus ante legati profecti erant, quamobrem etiam *πάλαι ἦσαν ἐξεληλεγμένοι* cum veritate consentit. Nam *ἦν ἀπησταλμένη* non est: Athenienses legationem missam habebant, sed est simplex plusquamperfectum: miserant. Etiam verba sequentia *εἰ γὰρ ὑμεῖς ἅμα τοὺς μὲν Ἕλληνας εἰς πόλεμον παρεκαλεῖτε, αὐτοὶ δὲ πρὸς Φίλιππον περὶ τῆς εἰρήνης πρέσβεις ἐπέμπετε, Εὐρυβάτου πρᾶγμα, οὐ πόλεως ἔργον οὐδὲ χρηστῶν ἀνθρώπων, διεπράττεσθε* sophistice dicta sunt: non quum legatos ad Philippum mitterent, etiam (*ἅμα*) in alias civitates legatos miserunt, sed hoc antea factum erat. Adjicit: *τί γὰρ καὶ βουλόμενοι μετεπέμπεσθ' ἂν αὐτοὺς ἐν τούτῳ τῷ καιρῷ; ἐπὶ τὴν εἰρήνην; ἀλλ' ὑπῆρχεν ἅπασιν· ἀλλ' ἐπὶ τὸν πόλεμον; ἀλλ' αὐτοὶ περὶ εἰρήνης ἐβουλεύεσθε* 24: recte: nam *ἐν τούτῳ τῷ καιρῷ* id non factum erat.

Haec igitur nostra sententia est: Olyntho primo anni 347 expugnata vere et Aristodemo brevi post ad Philippum misso ut de Atheniensibus Olynthi captis ageret, inde ab hoc tempore usque ad auctumnum ejusdem anni, mensem Septembrem aut Octobrem, quies fuit et summum pacis desiderium; expeditionibus Antipatri et Parmenionis in Thraciam et Thessaliam factis Athenienses Demosthene et Timarcho auctoribus denuo bellum paraverunt et ad hunc finem in omnes civitates Graecas ad bellum communiter contra Philippum gerendum exhortaturos legatos miserunt; Aeschines celerrime itinere in Peloponesum facto mense Decembri Athenas reversus est et ejus legationis, quae hoc mense ad Philippum de pace mittebatur, particeps factus est. Ceteros legatos anni 346 mense Martio (Elaphebolione) nondum reversos fuisse Aeschini credendum est. Legati quorum Demosthenes mentionem facit ab iis civitatum factionibus missi erant, qui foederi cum Atheniensibus constituendo operam dederunt (*οἱ αττικίζοντες*).

In eo quod Athenienses expeditionibus Parmenionis et Antipatri perterriti mense Septembri vel Octobri denuo bello parato, jam duobus vel tribus mensibus post de pace legatos ad Philippum miserunt, offendere non debes: suspicari licet,

maxime Demosthenis Aeschinis ceterorum, qui bello continuando studuerunt, contentionibus ad eas quas enarravimus res permotos esse Athenienses: illa factio, quae paci cum Philippo constituendae summam operam dedit, Aristodemi qui de legatione referebat, promissis et narrationibus adjuta, facile haud dubie effecit, ut Athenienses regis pollicitationes et excusationes serio factas esse credentes per legatos de pacis conditionibus agerent.

At, inquies, nonne ipse Aeschines dixit, mox post Olynthum captam se ex Arcadia reversum esse? Dem. de f. l. 305 sq.: *συντυχεῖν γὰρ ἀπιὼν* (Aeschines ex Arcadia) *'Ατρεστίδᾳ παρὰ Φιλίππου πορευομένῳ καὶ μετ' αὐτοῦ γύναια καὶ παιδάρια ὡς τριάκοντα βαδίζειν —. ἐπειδὴ δ' ἀκοῦσαι ὅτι 'Ατρεστίδας παρὰ Φιλίππου τῶν 'Ολυνθίων αἰχμάλωτα δωρεὰν ταῦτ' ἔχων ἀπέρχεται —·* Nihil haec res probat: cur Atrestidas non ex Macedonia ipsa captivos educeret? Etiam quum secunda legatio ad Philippum mitteretur, captivi Olynthii in Macedonia fuerunt: itaque quod anno vel decem mensibus post Olynthum captam Atrestidas captivos Olynthios *παρὰ Φιλίππου* in Arcadiam duxit, non obstat sententiae nostrae.

Illa concione qua legati de legatione retulerunt, psephismata, quae jam memoravimus, Demosthenes scripsit: primum, ut Philippi caduceatori et legatis fides publica daretur, secundum, ut simulac legati Macedonum venissent, prytanes duas, quibus de pacis condicionibus ageretur, conciones haberent; tertium, ut legati ex Macedonia reversi laudarentur et in prytaneum vocarentur. Haec tria psephismata ipsis Demosthenis verbis Aeschines 2, 53 memorat. Postea, prius quam legati Macedonum venissent, ut septimo et octavo Elaphebolionis die conciones haberentur scripserit: id quod Aeschines 3, 66 sq. ei crimini dat *ὅτ' ἦν τῷ 'Ασκληπιῷ ἡ θυσία καὶ ὁ προαγὼν ἐν τῇ ἱερᾷ ἡμέρᾳ, ὃ πρότερον οὐδεὶς μέμνηται γενόμενον —:* sed secundum fortasse jam psephisma, quod relationis die tulit, hos dies statuerit, id quod Aeschinis verba 3, 67 probare videntur: nam verba hujus rogationis haec fuisse videntur: *τοὺς πρυτάνεις ἐκκλησίαν ποιεῖν τῇ ἑβδόμῃ καὶ τῇ ὀγδόῃ ἱσταμένου τοῦ 'Ελαφηβολιῶνος μηνὸς, ἵν' ἐὰν ἤδη παρῶσιν οἱ τοῦ Φιλίππου πρέσβεις βουλεύσηται ὁ δῆμος ὡς τάχιστα περὶ εἰρήνης καὶ συμμαχίας.* Causa enim non esse videtur, cur non statim illo psephismate, quod, quum legati de legatione referrent, pertulit Demosthenes, septimum et octavum Elaphebolionis diem, qui postremi fuerunt ante Dionysia quibusque legatos Macedonum affuturos jam esse expectari potuit, statutos esse putemus. Nam et Aesch. 2, 53 et 3, 66 sq. de uno tantum psephismate loquitur Aeschines, quod hoc statuerit; verisimile autem est, etiam hoc jam psephisma verba *τῇ μὲν προτέρᾳ (τῶν ἐκκλησιῶν) συμβουλεύειν*

τὸν βουλόμενον, τῇ δ' ὑστεραίᾳ τοὺς προέδρους ἐπιψηφίζειν τὰς γνώμας (Aesch. 2, 65) continuisse, quae in posteriore psephismate repetita sunt [1]).

Macedonum legati septimo Elaphebolionis die quum nondum adessent, aliud psephisma scripsit Demosthenes, quo decimus octavus et nonus mensis Elaphebolionis dies statueretur, quibus de pace et foedere cum Philippo ineundo ageretur. In eo Schaefer [2]) vir doctissimus errare nobis videtur, quod hoc demum psephismate foederis mentionem factam esse putat: illud jam psephisma quod Demosthenes, quum legati rationes redderent, tulit, de pace et foedere deliberandum esse dixit Aesch. 2, 53: *τοὺς πρυτάνεις-ἐκκλησίαν ποιεῖν οὐ μόνον ὑπὲρ εἰρήνης ἀλλὰ καὶ περὶ συμμαχίας —:* et verisimile est hoc psephisma, quo in 18 et 19 diem pacis et foederis deliberationes dislatae sunt, iisdem verbis scriptum esse atque illud. Movet virum doctissimum quod Aeschines 2, 109 dicit: *τρίτον δὲ (ὑπανέγνω τὸ ψήφισμα) τὸ περὶ τοῦ βουλεύσασθαι τὸν δῆμον ὑπὲρ εἰρήνης ἐν ταχταῖς ἡμέραις. — ἔπειθ' ἕτερον ἐπήγετο ψήφισμα τὸ καὶ περὶ συμμαχίας βουλεύσασθαι τὸν δῆμον —:* sed hoc loco Aeschines sophistice foedus et pacem separat, ut et seriem eorum psephismatum extendat, quibus Demosthenes Philippum adjuverit, et quantum in modum pro Philippi commodis vires contenderit, demonstret. Eadem argumentandi ratione Aeschines quoque 3, 67 sq. uti videtur; de priore psephismate verba adhibet: *ἵνα — βουλεύσηται ὁ δῆμος ὡς τάχιστα περὶ τῶν πρὸς Φίλιππον;* de secundo dicit: *γράφει μὴ μόνον ὑπὲρ τῆς εἰρήνης ἀλλὰ καὶ συμμαχίας ὑμᾶς βουλεύσασθαι μὴ περιμείναντας τοὺς πρέσβεις τοὺς ὑμετέρους, ἀλλ' εὐθὺς μετὰ τὰ Διονύσια τὰ ἐν ἄστει τῇ ὀγδόῃ καὶ ἐνάτῃ ἐπὶ δέκα.* Sed an hoc loco Aeschines revera sophistice disputet dubites: nam 67 id sequitur, ut Demosthenem sacra die concionem habere voluisse demonstret: quid rogaverit Demosthenes, nihil refert, quamobrem pro pace et foedere certo sine consilio *τὰ πρὸς Φίλιππον* dicit; 68 autem id sequitur, ut aliarum civitatum Graecarum legatos pacis actionibus exclusos esse doceat: verba *μὴ μόνον ὑπὲρ εἰρήνης ἀλλὰ καὶ περὶ συμμαχίας* ita quidem addit, ut Demosthenis crimen augeat, sed sententiae summa in iis non sita est; itaque dubites, an revera consilio illic *τὰ πρὸς Φίλιππον* hic *μὴ μόνον* sqq. opponat. Nam verba *μὴ μόνον* sqq. sola repetitio esse videntur secundi quod Aeschines Demostheni exprobrat criminis 65: *δεύτερον δὲ ὅπως μὴ μόνον τὴν εἰρήνην ἀλλὰ καὶ συμμαχίαν εἶναι ψηφιεῖσθε πρὸς Φίλιππον.*

Quod audacter et sophistice nos interpretari fortasse pu-

1) Cfr. Grote l. l. XI, 535.
2) l. l. II, 196 not. 1.

taveris: sed ipsa Aeschinis verba, quae de illo priore Demosthenis psephismate facit, hoc probant 2, 53: *μὴ μόνον ὑπὲρ εἰρήνης ἀλλὰ καὶ περὶ συμμαχίας.* Itaque putandum est, jam quum de legatione referret Demosthenem rogationem tulisse, qua in septimum et octavum Elaphebolionis diem pacis et foederis deliberationes constitueret; quo quum tempore legati nondum advenissent, rogationem tulit, qua prius psephisma ita mutaret, ut pro septimo et octavo die decimum octavum et novum Elaphebolionis diem poneret.

Aeschines saepe adversario exprobrat quod ceteros Graecos pacis actionibus excluserit; itaque nunc haec criminatio num veritati respondeat, examinemus. Eo consilio Demosthenes rogationem de qua diximus scripserat, ut quam celerrime de pace deliberaretur et ad hunc finem duobus sequentibus diebus post legatorum adventum conciones haberentur. Ad pacem ipsam et foedus cum Philippo ineundum haec omnia non spectant; id tantum vult Demosthenes, ut deliberetur de pace et foedere quam celerrime. At hoc ipsum Aeschines adversario exprobrat: sociorum enim legati in synedrio, qui e civitatibus foederatis missi Athenis commorabantur, aliud decretum scripserant, quo expectandos esse Graecorum legatos, priusquam de pace deliberaretur, rogaverant; Demosthenes autem legatorum adventu non expectato statim diebus 18 et 19 Elaphebolionis deliberari jusserat. Aesch. 2, 57—62.

Mos fuit ut synedrii legati de pace aliisque gravioribus rebus rogationem ferrent idque populo deliberandum traderent; populum vero synedrii rogationibus ad decernendum id quod legati vellent motum aut incitatum esse non verisimile est. *Δόγμα συνέδρων,* quod Aeschines 2, 60 memorat, aliud fuisse atque illud quod 3, 69 sqq. affert, Boehneke [1]) vir doctissimus putat. Sed hoc persuadere nobis non possumus; semper de una tantum synedrii rogatione loquitur Aeschines et quod hic *δόγμα συνέδρων* illic *δόγμα συμμάχων* dicit, offendere non potest; nam unius ejusdemque paragraphi 60 (de f. l.) initio dicit Aeschines *ἀνάγνωθι δὴ καὶ τὸ τῶν συμμάχων δόγμα* et fine *ἀνάγνωθι δή μοι τὸ τῶν συνέδρων δόγμα.* Westermanno, viro de Demosthene interpretando meritissimo, nimis audacter et arroganter dictum esse videtur: sed solam more usitatam formam fuisse jam diximus. Verba *ὅτι δ' ἂν βουλεύσηται ὁ δῆμος ταῦτ' εἶναι κοινὸν δόγμα τῶν συμμάχων* 2, 60 modestissime dicta esse nobis videntur. Priusquam ipsae conciones 18 et 19 Elaphebolionis diebus haberentur, nulla hujus synedrorum rogationis mentio facta esse videtur;

---

1) l. l. 391 sq. Cfr. etiam Winiewski l. l. 75 sq. not. Franke l. l. 23. Westermann l. l. III, 41 sqq. Grote l. l. XI, 538 sqq.

qua ex re jam apparet, quanta auctoritas ei tributa sit: nam quum in rogatione, qua ratione ageretur, rogatum esset, si revera momenti et ponderis synedrorum voluntas fuisset, ipsa de ratione, quam proposuerant, deliberari debuit; sed 18 demum die haec verba *δεδόχθαι τοῖς συμμάχοις ἐπειδὰν ἐπιδημήσωσιν οἱ πρέσβεις καὶ τὰς πρεσβείας ἀπαγγείλωσιν τοῖς Ἀθηναίοις καὶ τοῖς συμμάχοις προγράψαι τοὺς πρυτάνεις ἐκκλησίας δύο* — recitata sunt, quum sine ulla jam vi essent.

Si Athenienses persuadere sibi potuissent, ceteros Graecos, quorum legatos expectandos esse synedrium voluit, bello contra Philippum gerendo interfuturos esse, alias conditiones pacis ferre potuissent et quae majorem in modum pro urbis commodis essent; sed illo tempore legatos, quos Athenienses in civitates Graecas miserant, nihil profecisse nec pro Atheniensibus auxilio adjuvandis quemquam surrecturum esse, inter omnes Athenienses quin constiterit, quis est qui dubitet? Socii quidem, quum hoc dogma ferrent, Graecas civitates legatos missuros esse, speraverint fortasse; Demosthenes vero hanc vanam et irritam spem esse neque a ceteris Graecis opem latum iri sibi persuasissimum habuit; itaque quum plurimum interesse, ut urbs pacem quam celerrime iniret, putaret, de legatis mentionem non fecit.

De eo autem quod Demosthenes scripsit, ut *καὶ περὶ συμμαχίας* deliberaret populus, vituperari non potest; Philippus per epistolas et per legatos, se cum Atheniensibus foedus inire velle, nuntiaverat: populus de hoc regis optato deliberaret saltem, necesse fuit: ut acciperet foedus, non rogavit Demosthenes hoc psephismate.

Hoc quoque loco, quibus artificiis sophisticis utatur Aeschines, ostendere nobis liceat. 53 Aeschines verba refert, quae Demosthenes dixit: *ἐγὼ δὲ γράψω — εἰς αὔριον:* verba eodem modo quo refert dicta esse putare debes, certe quidem ita dicta ea esse judicibus persuasurus est; dicit: (*ἐκκλησίαν* —) *μὴ μόνον ὑπὲρ εἰρήνης ἀλλὰ καὶ περὶ συμμαχίας* — et his verbis ipsis et vocis sono etiam de foedere deliberandum esse Demosthenem dixisse, premit. Qua ratione statim ab initio judicum animos ad id attendit, quod probaturus est: judicibus persuadere studet, Demosthenem his ipsis verbis usum esse, quod hoc maxime secutus esset, ut foedus quoque cum rege Athenienses facerent, Demosthenem autem hoc scribere debuisse jam diximus. Quum vero pro certo habendum sit, Demosthenem *ὑπὲρ τῆς εἰρήνης καὶ συμμαχίας* scripsisse, etiam hoc loco artem Aeschinis sophisticam agnoscere licet, qua Demosthenem ipsum verbis *μὴ μόνον — ἀλλὰ καὶ* foedus rem omnium gravissimam esse dixisse, judicibus persuadere studet.

Ut certi aliquid de concionibus ipsis, quibus pacis con-

ciones deliberabantur, reperiamus et statuamus, aptissimum erit, ut primum Aeschinis verba, quibus Demosthenem refutaturus est, disseramus: postquam hac ratione argumenta Aeschinea examinavimus et artem ejus sophisticam cognovimus, facilius ea, quae Demosthenes narrat, num vera sint, intelligemus.

Demosthenes de f. l. 13—16 primo die moderate et breviter Aeschinem locutum esse, postero, ut pax Philocratea constitueretur, studuisse contenderat; Aeschines 63 de f. l. adversarii verba refutat. Demosthenem mentitum esse quatuor argumentis probat: *μίαν μὲν αὐτὸς καϑ' αὑτοῦ Δημοσϑένης μαρτυρίαν μαρτυρήσει, ἑτέραν δὲ πάντες Ἀϑηναῖοι καὶ ὑμεῖς ἀναμιμνησκόμενοι, τρίτην δὲ ἡ τῆς αἰτίας ἀπιϑανότης, τετάρτην δ' ἀνὴρ ἀξιόλογος εἷς τῶν πολιτευομένων Ἀμύντωρ ᾧ τὸ ψήφισμα ἐπεδείξατο Δημοσϑένης καὶ ἀνεκοινοῦτο εἰ δῷ τῷ γραμματεῖ, οὐχ ὑπεναντίον ἀλλὰ ταὐτὸν γεγραφὼς Φιλοκράτει.* Jam postrema haec verba eo consilio dicta sunt, ut judicum animos perturbent. Quum *ᾧ τὸ ψήφισμα ἐπεδείξατο Δημοσϑένης* dicit, expectare non potest judices quid velit intellecturos esse; sed id ipsum vult, ne judices quid dicat intelligant: si revera probare voluisset, se ita non egisse, ut Demosthenes sibi exprobraverit, summa cum diligentia et subtilitate singulas res, quae ad probandam aut confirmandam defensionem pertinebant, afferre debuit. Sed jam vide, quid faciat Aeschines Demosthenes illis diebus, inde a reditu legatorum ex Macedonia usque ad secundam legationem, septem psephismata scripserat: ut legati reduces facti laudarentur; ut Macedonum legatis fides publica daretur; ut prytanes duobus sequentibus diebus conciones haberent, quibus de pace deliberaretur; ut pacis actiones in 18 et 19 Elaphebolianis dies differrentur; ut proedria legatis Philippi daretur; ut legati quam celerrime in Macedoniam proficiscerentur; postremo id quod Aeschines hoc loco memorat. De hoc psephismate Aeschines verba nondum fecit, sed alia fere omnia memoravit: quis est igitur, qui de quo psephismate dicat hoc loco, intelligat? Verba quae facit Aeschimes *ᾧ τὸ ψήφισμα ἐπεδείξατο Δημοσϑένης καὶ ἀνεκοινοῦτο εἰ δῷ τῷ γραμματεῖ οὐχ ὑπεναντίον ἀλλὰ ταὐτὸν γεγραφὼς Φιλοκράτει,* postquam nulla hujus psephismatis mentio facta est, intelligi omnino non possunt.

Continuat sermonem: *καί μοι λαβὲ τό ψήφισμα καὶ ἀνάγνωϑι τὸ Δημοσϑένους:* quis est qui non de eo psephismate cogitet, cujus mentionem Aeschines fecit postremo? Quod autem addit: *ἐν ᾧ φαίνεται γεγραφὼς τῇ μὲν προτέρᾳ τῶν ἐκκλησιῶν συμβουλεύειν τὸν βουλόμενον, τῇ δ' ὑστέρᾳ τοὺς προέδρους ἐπιψηφίζειν τὰς γνώμας* id solum spectat, ut animi prorsus perturbentur: nam de quo psephismate supra (*Ἀμύντωρ ᾧ τὸ ψήφισμα ἐπεδείξατο*) dixerit, ii qui audiunt nesciunt,

praesertim quum paucis tantum hoc psephisma, de quo alio loco agemus, notum fuisse verisimile sit.

Aeschines hoc loco mirum in modum sibi repugnat: quum dicat *ᾧ τὸ ψήφισμα ἐπεδείξατο,* illo die novas rogationes ferre licuisse ostendit; nam si hoc omnino non licuisset, cur Demosthenes eam scribae dare vellet, ut de eo suffragia ferrentur? Quum autem dicat *τῇ δ᾽ ὑστέρᾳ τοὺς προέδρους ἐπιψηφίζειν τὰς γνώμας,* non licuisse probare vult. Itaque etiam hoc loco, quantus sit sophistes, intelligimus.

Etiam si legas vel audias: *ἐν ᾧ φαίνεται γεγραφὼς τῇ μὲν προτέρᾳ τῶν ἐκκλησιῶν συμβουλεύειν τὸν βουλόμενον, τῇ δ᾽ ὑστέρᾳ τοὺς προέδρους ἐπιψηφίζειν τὰς γνώμας, λόγον δὲ μὴ προτιθέναι,* haec postrema verba Demosthenis esse putes: nam *τῇ δ᾽ ὑστέρᾳ — προτιθέναι* arctissime inter se cohaerent; sed quin *λόγον δὲ μὴ προτιθέναι* Aeschinis verba sint, quibus *ἐπιψηφίζειν τὰς γνώμας* quasi interpretaretur, non dubitamus: sed vult, ut psephismatis verba esse videantur. Quod psephisma ipsum recitatur, sententiae nostrae non obstat: vis illorum verborum non minuitur; etiam non totum psephisma recitatum esse, sed nonnullas tantum ejus partes, quae ipsa de hac re egerint, putaveris.

Tum victoriae quasi gloria elatus addit: *οὐκοῦν τὰ μὲν ψηφίσματα ὡς ἐξ ἀρχῆς ἐγράφη μένει, οἱ δὲ τῶν συκοφαντῶν λόγοι πρὸς τοὺς ἐφ᾽ ἡμέραν καιροὺς λέγονται. ποιεῖ δέ μου τὴν δημηγορίαν ὁ μὲν κατήγορος διαιρετήν, τὸ ψήφισμα δὲ καὶ τἀληθὲς μίαν. λόγων γὰρ μὴ προτεθέντων, τῶν δὲ προέδρων κωλυόντων* (aeque atque 65 haec addit, quasi praecedentia interpretetur) *οὐκ ἐνῆν εἰπεῖν.*

Quaeritur nunc, num hoc quod in medium profert Aeschines id quod velit probet. Summa hujus argumenti in eo sita est, num *τὸ ἐπιψηφίζειν* revera ut Aeschines contendit omnia alia verba removeat. *Ἐπιψηφίζειν* est in suffragia mittere; psephiemata aut per *προβούλευμα* ferebantur aut ipsa pro concione scribebantur: postquam populus de iis, quae lata erant, deliberavit et diversae sententiae pronuntiatae sunt, epistates singulas rogationes recitavit, ut populus suffragia iniret. Si igitur ipsam hanc vocem *ἐπιψηφίζειν* spectes, certe quidem id sibi vult quod Aeschines dicit: solum est in suffragia mittere, nihil aliud. Sed quum Demosthenes rogationem ferret, ut primo die de pace et de foedere cum Philippo ineundo deliberaretur, secundo suffragia ferrentur, nihil aliud certe spectavit, quam ne audientium et loquentium animi verbis, quae dixerant et audierant, perturbati et inflammati decreta facerent, sed omnibus sententiis et rationibus, quibus sententiae aut impugnarentur aut confirmarentur, auditis, ipsi domi denuo, quid faciendum esset, deliberarent et postero die cupiditatibus non perturbati summa cum animorum tran-

quillitate decernerent. Qua ratione fere semper, quum de pace aliisque gravioris momenti rebus ageretur, Athenienses usi esse videntur[1]). Itaque quamquam vox *ἐπιψηφίζειν* revera, ut Aeschines vult, solum in suffragia populum mittere est, tamen dubitari non potest, quin nova ad confirmandas aut refutandas sententias proferre licuerit: nam illius rationis summa non in eo sita est, ut secundo die omnino nihil dicatur, sed in eo, ut primo die decretum non fiat.

At sive licebat sive non licebat postero die nova proferre, Aeschines ipse revera nova allata esse concedit. Quum hoc loco sibi non constare Aeschinem jam supra diximus, tum in oratione contra Ctesiphontem habita Demosthenem multa verba fecisse dicit: qua de re postea. Ex quo perspicue intelligitur, Aeschinem hoc loco, quum secundo die omnino fieri non potuisse, ut nova ad confirmandas aut dissuadendas rogationes afferrentur, dicat, sophistice et false agere.

Primum argumentum attulit; secundum nunc eum allaturum esse expectamus (*ἑτέραν δὲ πάντες Ἀθηναῖοι καὶ ὑμεῖς ἀναμιμνησκόμενοι*): sed non invenitur. Satis esse putaveris fortasse, Aeschinem id solum commemorasse; nam longius exponi id non potuisse; sed quod argumentum firmius fuisset, quam si breviter concionis actiones descripsisset et: haec omnia memoria tenetis! adjecisset? Quin nullo verbo hoc argumentum memoraret, fieri non potuit; nam si in re, quam ipsi judices audierant et viderant, hanc ipsam audientium et videntium memoriam non protulisset ad probandum id quod dicit, et offendisset et nunc longam argumentorum seriem (*μίαν — ἑτέραν — τρίτην — τετάρτην*) auget et amplificat: itaque pauca illa verba *πάντες Ἀθηναῖοι καὶ ὑμεῖς ἀναμιμνησκόμενοι* facit: nihil aliud de firmissimo omnium et gravissimo, si res vera fuisset, argumento affert. Postquam primum argumentum usque ad verba *οὐκ ἐνῆν εἰπεῖν* 66 exposuit, statim ad tertium transit: *τί δὲ καὶ βουλόμενος εἴπερ ταὐτὰ Φιλοκράτει προειλόμην κατηγόρουν μὲν πρὸς τοὺς αὐτοὺς ἀκροατὰς τῇ προτεραίᾳ, μίαν δὲ νύκτα διαλιπὼν συνηγόρουν* sqq. Hoc recte se habet: Demosthenes nihil affert, quo cur Aeschines priore die Philocrati restiterit, posteriore pacem suaserit, explicet. Qua de re alio loco dicemus.

Sed quartum etiam argumentum affert, quo se non pro pace ineunda locutum esse probaturus est, Amyntoris testimonium; dicit Aeschines 67: *κάλει δέ μοι καὶ Ἀμύντορα τὸν ἐρχιᾶ καὶ τὴν μαρτυρίαν ἀνάγνωθι* — et addit: *ὃν δὲ τρόπον γέγραπται προδιελθεῖν ὑμῖν βούλομαι.* Cur id fecit Aeschines? Si testimonium tale fuit, ut hic dicit Aeschines, qua de causa ipsa verba testimonii, quae statim repetuntur, profert? Rur-

---

1) Cfr. Schaefer l. l. II, 207. G. Grote l. l. XI, 540 not. 50.

sus quam artificiose et sophistice Aeschines agat, in hac re videre licet. Quin ipsa verba Amyntoris, quae hic afferat, esse judicibus persuasurus sit, dubitari non potest: est certa et usu recepta forma testimoniorum. Sed eo consilio haec verba dicit, ut alia quae ipse vellet iis insereret et judices etiam haec Amyntoris verba esse putarent. Ejusmodi sunt verba *ὅτε οὐκ ἐξῆν δημηγορεῖν ἀλλὰ τὰ περὶ τῆς εἰρήνης καὶ συμμαχίας ψηφίσματα ἐπεψηφίζετο, ἐν ταύτῃ τῇ ἐκκλησίᾳ:* mos fuit et lex, ut testes id solum testimonio affirmarent, quod ipsi audierant et viderant [1]): haec non est res sed opinio: non id affirmare debuit, illo die verba ad populum facere non licuisse, sed verba nec Demosthenem neque Aeschinem fecisse; itaque haec verba, praesertim quum veritati non respondere supra dixerimus, Aeschinis non Amyntoris esse putandum est.

Etiam illa quae fine 68 dicit: *καὶ εἶναι ἐφ' οἷς τὴν εἰρήνην καὶ τὴν συμμαχίαν ἔγραψε ποιεῖσθαι ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ἐφ' οἷςπερ καὶ Φιλοκράτης ἐγεγράφει,* ita ab Amyntore dicta esse, non putaveris: nam haec rationi omnino repugnant: si psephisma, quod Demosthenem scripsisse Amyntor dicit, ut a proedris de eo in suffragia populus mitteretur, idem erat, quod Philocrates rogaverat et de quo jam deliberatum erat, cur Demosthenes omnino id scriberet? Causa non esse videtur, cur Demosthenes operam consumpserit in psephismate litteris consignando, quo nihil opus fuit. Quid Amyntorem affirmasse putemus, alio loco dicemus.

Quibus reputatis, etiam hoc Amyntoris testimonio nihil probari et confirmari dicendum est. Immo etiam ipsis Aeschinis verbis repugnat. Nam verba, quibus solis postero die verba facere non licuisse contenditur (*ὅτε οὐκ ἐξῆν δημηγορεῖν*), Aeschinis non Amyntoris esse nobis persuasimus; *καὶ εἶναι ἐφ' οἷς τὴν εἰρήνην καὶ συμμαχίαν ἔγραψε ποιεῖσθαι ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ἐφ' οἷςπερ καὶ Φιλοκράτης ἐγεγράφει* addit Aeschines, ut non se sed Demosthenem cum Philocrate conjunctum paci faciendae operam dedisse demonstret; testimonium ipsum potius argumentum esse dicas, quo verba facere licuisse nobis persuadeamus, quam non licuisse.

De oratione quam Aeschinem, ut pacem Philocrateam Atheniensibus persuaderet, posteriore die habuisse Demosthenes dixit, multis verbis se defendit et purgat 68—78. Valde mirandum est, quod posteriore die verba facere non licuisse nec facta esse contendit, attamen copiose de hac oratione disserit. Haud dubie vult, ut judices priore jam die haec dicta esse putent, sed hoc ipsum dicendum fuit [2]).

---

1) Meier und Schoemann, der attische Process 669.
2) Cfr. Schaefer l. l. II, 213. Westermann l. l. III, 42. Franke l. l. pag. 24 sq. Grote l. l. XI, 542.

Demosthenes adversarium vituperat, quod nec majorum recordandum esse dixerat, nec triumphos praedicandos, nec cuiquam opem ferendam, seque eos, qui cum Graecis de facienda cum Philippo pace deliberandum esse juberent, demirari, si propriis in Atheniensium negotiis alterius assensu opus esset; Philippum Atheniensium amantissimum esse et omnium Graecorum studiosissimum. Dem. de f. l. 307 sqq.

Aeschines defensionem hoc loco ita comparat, ut primum pericula describat, quibus urbs illo tempore circumdata fuerat 70 sqq., tum se non, ut majorum omnino non recordarentur, populum Atheniensium hortatum esse dicat, sed ut prudentiam majorum imitarentur, vitia autem et intempestivam aemulationem vitarent, suasisse. Nobis quidem haec defensio recta et sufficiens esse videtur. Facile se purgat hoc quod Demosthenes ei exprobravit crimine, quum Demosthenes ipse sophistice nec veritati congruenter egerit: Aeschinem non ita, ut Demosthenes dicit, verba fecisse, per se ipsum intelligitur: quomodo Athenienses ne majorum gloriae meminissent hortari auderet, nisi certo quodam consilio et rerum ratione hoc faceret? Demosthenes toto ex orationis contextu haec singula verba eripit, quum Athenienses omnem majorum gloriae obtrectationem aegerrime ferre sciret. Sed quibus cum aliis sententiis et verbis hoc dixerit, exponit Aeschines nec recte facere Demosthenem concedendum est nobis, quod hoc singulare pro se ipso crimen faciat, quum totius Aeschinis orationis pars tantum sit, quae universa cum hac vituperari aut probari debet.

Postquam adhuc Aeschinem maxime secuti sumus et ea quae ad refutanda Demosthenis verba dicit cognovimus, nunc quomodo Demosthenes de illis concionibus dicat, num ea quae dicat inter se consentiant, quaerendum nobis est.

Sed statim jam hoc loco id quod ex Demosthenis et Aeschinis orationibus cognovimus et quod nunc demonstrandum nobis proposuimus proferemus. Videntur enim Aeschines et Demosthenes illis diebus unum idemque secuti esse. Sed neuter concedit, quum alteri alter omnem illarum actionum culpam imponere, se ipsum numquam paci Philocrateae suffragatum esse, judicibus persuadere studet. Quod ut ostendamus, primum de pacis conditionibus pauca verba faciamus.

Dubitare non possumus, quin de gravissimis pacis conditionibus jam in Macedonia inter Philippum et legatos Atheniensium convenerit. Tentaverunt quidem legati et studuerunt, ut ex eorum orationibus percipitur, ut Amphipolis ceteraeque urbes, quas in bello perdiderant, Athenis redderentur, sed Philippus haud dubie, de Amphipoli iisque locis, quos expugnatos obsidebat, Atheniensibus reddendis cogitari non posse, declaravit, sed ita tantum de pace deliberari posse,

ut uterque haberet quod possideret (*ἑκατέρους ἔχειν ἃ ἔχουσιν*). Cui postulato obtemperandum esse legati omnes, non solum Aeschines ceterique sed etiam Demosthenes, intellexerunt et quum de legationibus referrent et in concionibus deliberarent, haud dubie professi sunt. At curam et metum, ne in expugnationibus longius progrederetur, ita propulsavit Philippus, ut donec de pacis condicionibus deliberaretur, Chersonesum se non adorturum esse promitteret. Quibus promissis legatorum curae placatae et permulsae sunt; nam Kersobleptem iis valde curae fuisse, non putamus. Diximus quidem, ipsa in Thraciam expeditione facta Athenienses anni 347 auctumno, ut ad bellum acrius gerendum et Chersonesum defendendam se praepararent, incitatos esse, sed ob eam maxime causam, quod Chersonesum in periculo esse sibi persuaserunt, de Kersobleptis sorte numquam valde solliciti fuerunt, praesertim quum fere semper in ditione quadam Philippi fuerit[1]). Et de hac quoque re causas protulerit rex, quibus ad hanc expeditionem excitetur et promissiones fecerit.

Quae quum ita sint, Demosthenem inde a primis actionum initiis paci constituendae operam dedisse, cujus condicio *ἑκατέρους ἔχειν ἃ ἔχουσιν* esset verisimillimum est. Et jam vide, quid et Aeschines et Demosthenes de pace dicant. Uterque ut synedrii decretum perferretur in comitiis operam se dedisse dicit. Sed quid voluit hoc decretum? De pacis conditionibus ipsis ne unum quidem verbum fecit, sed per tres menses omnibus Graecis licere dixit pacis participes fieri et foedus cum Philippo feriri. Sed quomodo Demosthenes et Aeschines, ut hoc perferretur, operam dedisse possunt, quum nihil de pace ipsa decerneret? Vides jam, illarum deliberationum et comitiorum actionum quae fuerit summa omnium. De pacis conditionibus ipsis dissensio non fuit: ea ratione *ἑκατέρους ἔχειν ἃ ἔχουσιν* omnes singulae res constitutae sunt. Sed hoc fuit, de quo dissentirent, num ceteris Graecis liceret pacis participes fieri an non et num foedus cum Philippo feriretur: nam *συμμαχίαν* cum Philippo Athenienses ut constituerent, optaverunt et postulaverunt legati Macedonum.

Itaque quid *συμμαχία* sibi velit videamus. Secundo die *συμμαχίαν* factam esse cum Philippo, scimus; itaque ipsis ex pacis verbis, qualis 10 Elaphebolionis die decreta est et constituta, cognoscere licet, quid *συμμαχία* sibi velit. Verba adjecta esse videntur, quae constituerent, ut si quis alius alterius possessiones ingrederetur, alter illi opem ferre deberet. Boehnecke[2]), vir acutissimus, ipsa pacis verba colligere et in unum componere tentavit, sed valde dubitamus, an fuerit

---

1) Schaefer l. l. II, 25. 30. 166 sq.
2) l. c. 393 sq. cfr. Voemel Prolegomena ad Dem. de Pace p. 265.

talis qualem nobis persuadere vult. Demosthenes 143 sq. dicit: *τῇ πόλει μὲν ἀφεστηκέναι μὲν ἁπάντων καὶ τῶν κτημάτων καὶ τῶν συμμάχων, ὀμωμοκέναι δὲ Φιλίππῳ κἂν ἄλλος τις ἴῃ ποτ᾽ ἐπ᾽ αὐτὰ βουλόμενος σώζειν, ὑμᾶς κωλύσειν καὶ τὸν μὲν ὑμῖν βουλόμενον παραδοῦναι ἐχθρὸν ἡγήσασθαι καὶ πολέμιον, τὸν δ᾽ ἀπεστερηκότα σύμμαχον καὶ φίλον* —: sed haec non pacis ipsius verba esse, nobis persuasissimum est; si haec verba recepta essent, profecto Athenas ad internecionem deletas esse affirmarent; sed cur Philippus postularet, ut verba *ἀφεστηκέναι ἁπάντων καὶ τῶν κτημάτων καὶ τῶν συμμάχων* in pacem reciperentur, quum expectare deberet, his verbis summam Atheniensium iracundiam motum iri, se autem nihil effecturum et consecuturum esse: nonne verba *ἑκατέρους ἔχειν ἃ ἔχουσιν* omnia continent, quae de pace dici potuerunt? Ipsis pacis verbis Athenienses se devictos esse concedere et profiteri debuerunt? Verba haec affert Demosthenes, ut quae fuerit pax audientibus ante oculos ponat: *ἀφεστηκέναι πάντων καὶ κτημάτων καὶ συμμάχων* est idem quod *ἑκατέρους ἔχειν ἃ ἔχουσιν:* nam quum Philippo possessiones et socios concedunt, quos nunc habet, ipsi cedunt omnibus his; *ὀμωμοκέναι* sqq. autem est *συμμαχία:* Demosthenes hoc loco id solum dicit, Athenienses obstrictos esse foedere, ut, si quis alius Philippi possessiones et eas quoque, quas ei tradiderant, aggressurus esset, ei opem ferrent; sed quin eodem modo Philippus obstrictus fuerit foedere, ut Atheniensibus, si quis alius eos adorturus esset, opem ferret, dubitari non potest: nam quomodo talis ratio, ex qua alter semper paratus esse debet ad incursiones et impetus, qui ab aliis in alterum fiant, propulsandos et defendendos, ipse autem semper auxilio caret, *συμμαχία* dicenda est?

Itaque ad hunc finem *ἡ συμμαχία* constituta esse videtur, ut alter alteri praestaret et sponderet omnia ea, quae possideret, se tutaturum et defensurum esse. An auxilium quoque alter alteri promiserit, si adortus sit alium populum, ut nos dicimus Defensiv- und Offensiv-Bündniss, dubites [1]): sed nobis quidem persuasum habemus [2]): nam ipsa vox hoc sibi vult: *συμμαχία* est Defensiv- und Offensiv-Bündniss, *ἐπιμαχία* Defensiv-Bündniss. Ut foedus, *συμμαχία,* cum Atheniensibus feriatur maxime studuisse videtur Philippus, nam scripsisse eum dicit Demosthenes 41: *εἰ καὶ συμμαχία προςγένοιτ᾽ αὐτῷ γράψειν ὡμολόγει ἡλίκα τὴν πόλιν εὖ ποιήσει.*

Quantae gravitatis et ponderis haec *συμμαχία* futura sit, Philippus optime intellexerit. Si pax tantum facta esset, bellum quidem finitum fuisset; sed quum sibi proposuisset,

---

1) Cfr. Schaefer l. c. II, 212.
2) Cfr. E. Curtius griechische Geschichte III, 610.

ut Phocensium res constitueret et ordinaret, et bellum acerrimum sibi gerendum fore quum putaret, maxime ejus interfuit, ut socios sibi compararet: nam usque ad illud temporis momentum socios nondum habuit, quibus confideret: etiam quum in Phocidem iter faceret, *ἐστασίαζεν αὐτῷ τὰ Θετταλῶν καὶ Φεραῖοι πρῶτον οὐ συνηκολούθουν* (Dem. de f. l. 320); Thebani fidem ei non habuerunt (Aesch. de f. l. 137: *Θηβαῖοι — ἐξεληλύθεσαν πανδημεὶ ἀπιστοῦντες τοῖς πράγμασιν*); Phocenses Pylas obsessas habuerunt, quas nisi tradidissent, Philippus redire fortasse debuit: quantum igitur adjumentum ei Atheniensium *συμμαχία* latura esset, optime intellexit; nam res tam feliciter omnes eventuras esse, ut postea factum est, non expectavit rex. Id ipsum quod Athenienses foedus cum Philippo, quocum per decem annos bellum gesserant, fecerunt, multorum, qui Philippi promissis non credentes impetum ejus repellere voluerunt, animos fracturum esse, certe Philippus sibi persuaserit.

Δόγμα συμμάχων etiam verba *ἐν τρισὶν μησὶν εἰς τὴν αὐτὴν στήλην ἀναγεγράφθαι μετ' Ἀθηναίων καὶ μετέχειν τῶν ὅρκων καὶ συνθηκῶν — ἐξεῖναι τῷ βουλομένῳ τῶν Ἑλλήνων* (Aesch. 3, 70) continuit. Qua ex re perspicitur, *δόγμα συμμάχων* non solum pacem, sed etiam *συμμαχίαν* cum Philippo fieri suasisse, sed ea tantum conditione, ut ceteris quoque Graecis liceret foederis participes fieri. Aeschines quidem dicit, de foedere Demosthenem solum mentionem fecisse, sed sophistice a veritate aberrat. Vide modo, qua ratione res se habuerit.

Paci, quam Philippus et Athenienses inter se fecerunt, socii adscripti sunt; itaque Phocenses quoque et Halenses: cur ceteri Graeci ut pacis participes fierent invitarentur? Fuit pax inter eos et Philippum. Sed foedere concesso, summi momenti fuit, quod omnes Graeci hac *συμμαχίᾳ* comprehendebantur: id quod quisque habuit et possessit ceteri foederis socii se tutaturos et defensuros esse promiserunt: ita Philippo omnis occasio interclusa esset, per quam Graecarum civitatum rebus se immisceret; nam ceteri pacis participes obstricti fuissent, ut ei qui a Philippo laederetur et bello peteretur opem ferrent.

At putaveris fortasse, solum in Kersobleptem haec verba pertinuisse, cui quum bellum esset cum Philippo Athenienses studuisse, ut pacem ei compararent et hoc modo Philippum longioribus expugnationibus excluderent. At quum nihil hanc sententiam probare videtur et Aeschines ipse 2, 82 dicit *ἐν ἐκείνῃ μὲν οὖν τῇ ἡμέρᾳ ᾗ ὑμεῖς ἐψηφίσασθε τὴν εἰρήνην οὐδεμία μνεία ἐγένετο περὶ Κερσοβλέπτου,* tum ipsa Demosthenis et Aeschinis verba hoc probare videntur quod diximus, jam synedrorum rogatione non solum pacem

sed etiam foedus suasum fuisse, sed ea tantum conditione, ut ceteri Graeci huic foederi adscriberentur. Uterque primo die *δόγμα συμμάχων* probatum esse dicit; Aeschines 3, 71 addit: *καὶ ὁ δῆμος ἀπῆλθε τοιαύτην τινὰ δόξαν εἰληφὼς ὡς ἔσται μὲν ἡ εἰρήνη· περὶ δὲ συμμαχίας οὐκ ἄμεινον εἶναι διὰ τὴν τῶν Ἑλλήνων παράκλησιν βουλεύσασθαι, ἔσται δὲ κοινῇ μετὰ τῶν Ἑλλήνων ἁπάντων:* persuasum sibi habuit populus Atheniensium, pacem factum iri, de foedere autem melius esse propter *τὴν τῶν Ἑλλήνων παράκλησιν* illo tempore non deliberari, sed factum iri una cum ceteris Graecis. Quae verba hoc sibi volunt: ceteros Graecos invitari populus voluit; quo facto foedus deliberandum et faciendum esse una igitur cum ceteris Graecis. Pax statim cum Philippo facienda fuit, nam pacis participes fieri non potuerunt Graeci, quum bellum iis non fuisset.

Etiam ipsius synedrorum rogationis verba hanc sententiam probare videntur: rogavit, ut per tres menses Graecis liceret *μετέχειν τῶν ὅρκων καὶ τῶν συνθηκῶν —: οἱ ὅρκοι καὶ συνθῆκαι* sunt *συμμαχία* ..

Itaque id quod de communi Graecorum synedrio, quod de foedere cum Philippo faciendo deliberaret, dicit Aeschines recte se habet; sed num a Demosthene Graecos, quominus invitarentur ad hoc synedrium, impeditos esse, jure contendat, infra videbimus.

Post primi diei actiones expectandum fuit, secundo die, ut ceteri Graeci invitarentur ad foedus una cum Atheniensibus faciendum, decretum iri: haec est *ἡ τῶν Ἑλλήνων παράκλησις* 3, 71. Sed hac ratione agit Aeschines sophistice, quod simulat, illos ipsos legatos qui antea, ut ad bellum communiter contra Philippum gerendum Graecos excitarent, emissi fuerant, jam hoc mandatum accepisse, ut aut ad bellum aut ad pacem communiter cum Atheniensibus faciendum eos excitarent: de pace nulla mentio fuerat, quum illo tempore quum legatos emitterent Athenienses, de pace non cogitaretur nec ceteris Graecis bellum cum Philippo esset, quod per pacem finirent. Itaque verba Aeschinis 2, 57: *ἵνα κοινῇ καὶ πολεμοῖεν εἰ δέοι Φιλίππῳ μετ' Ἀθηναίων καὶ τῆς εἰρήνης εἰ τοῦτο εἶναι δοκοίη συμφέρον μετέχοιεν,* aliaque aliis locis dicta non recte se habent.

Hoc loco conjecisse liceat quod quidem argumentis non probabimus nec confirmabimus. Jam Westermann et Winiewski[1]), viri doctissimi, quum Aeschines 2, 60 de legatis loquatur, quos reversos nondum esse dicat, sophistice eum de iis legatis cogitare suspicantur, quos Athenienses ad Phi-

1) Cfr. Westermann l. l. III, 41 sq. Winiewski l. l. 76.

lippum miserant. Quod non credimus viris doctissimis, sed fortasse Aeschines de his legatis loquatur, quos ad ceteros Graecos missuri fuerunt illo die Athenienses. Haec *δόγματος* verba fuerint: *δεδόχθαι τοῖς συμμάχοις προγράψαι τοὺς πρυτάνεις ἐκκλησίας δύο κατὰ τὸν νόμον, ἐν δὲ ταύταις βουλεύσασθαι περὶ τῆς εἰρήνης Ἀθηναίους. ὅ τι δ᾽ ἂν βουλεύσηται ὁ δῆμος τοῦτ᾽ εἶναι κοινὸν δόγμα τῶν συμμάχων. Περὶ δὲ τῆς συμμαχίας ἔδοξε τοῖς συμμάχοις ἑλέσθαι πρέσβεις οἵτινες παρακαλέσουσι τοὺς Ἕλληνας μετέχειν τῶν ὅρκων καὶ συνθηκῶν· ἐπειδὰν δ᾽ ἐπιδημήσωσιν οἱ πρέσβεις καὶ τὰς πρεσβείας ἀπαγγείλωσιν Ἀθηναίοις καὶ τοῖς συμμάχοις, βουλεύσασθαι Ἀθηναίους περὶ συμμαχίας, ἐξεῖναι δὲ τῷ βουλομένῳ ἐν τρισὶ μησὶν εἰς τὴν αὐτὴν στήλην ἀναγεγράφθαι μετ᾽ Ἀθηναίων.* Sic agere Aeschinem putaveris fortasse, ut verba *ἐπειδὰν* sqq., quae illius rogationis postrema fuerint, verbis *προγράψαι* sqq. anteponat: totum enim psephisma recitatum sit non necesse est, sed eae tantum partes recitatae esse videntur, de quibus sermo fuit. Sed quamquam haec opinio cum Aeschinis arte sophistica valde consentit, tamen eam persuadere nobis non possumus, sed revera synedros de illis legatis cogitasse, quos Athenienses in alias civitates Graecas ad bellum communiter contra Philippum excitandum miserant, quosque mox reversuros esse expectaverunt, putamus.

Gravissima causa, quae illam sententiam, quam supra exposuimus, probet, in Aeschinis oratione contra Ctesiphontem habita esse nobis videtur. Aeschines per viginti quinque paragraphos idem hoc quod diximus, populum Atheniensium primo die voluisse, ut Graeci ad foedus communiter faciendum invitarentur, adversario exprobrat; respondet Demosthenes pro Ctesiph. 22—24, sed ita, ut de toto hoc tempore nihil fere dicat, sed locis quibusdam communibus prolatis, statim ad secundae legationis tempus transeat. At necesse fuit de hoc quoque tempore se purgaret: non enim accusator est, ut in orat. de f. l., sed accusatus, et per totam orationem id studet, ut per totam vitam Atheniensium commoda secutum se esse et omnia quae egerit pulchra et Atheniensium reipublicae utilia fuisse demonstret. Alio quoque loco de hac re nonnulla verba faciamus: hoc nobis persuasissimum habemus et demonstraturi fuimus, *δόγμα συμμάχων* rogasse, ut pax statim cum Philippo iniretur, de foedere autem hac tantum conditione deliberaretur, ut ceteris Graecis ejus participes fieri liceret.

At jam pergamus in quaestione nostra: si illud, quod synedri voluerunt, receptum esset in pacis verba, molestissimum et difficillimum Philippo, Atheniensibus gratissimum et summi emolumenti fuisset; ille enim in omnia tempora devinctus fuisset neque ulli populo bellum inferre potuisset,

Athenienses a regis incursionibus securi et tuti fuissent. Philippus postulavit ea fere quae Philocrates rogavit: ut pax et foedus inter Athenienses eorumque socios et Philippum ejusque socios fieret, suas uterque possessiones haberet, Phocenses Halensesque pace excluderentur. Pax quae secundo die ab Atheniensibus decreta est regis optato obsecuta est, hoc tantum mutato, ut Phocenses Halensesque paci adscriberentur. Quam nullo modo illis quidem temporibus Atheniensibus molestam et difficilem fuisse contendimus. Demosthenes quidem se dolere simulat et Aeschini crimini dat, quod pace facta Amphipolis regi cessa sit aliaque; sed quin sophistice id fiat, ut adversarii culpam augeat dubitari non potest. Semper memoria tenendum est, Demosthenem totam accusationem hunc in modum exstruere, ut Aeschinem quam celerrime Philippo se vendidisse contendat: omnia pro Philippi utilitate egisse eum idque jam in illis contionibus, quibus de pace deliberatum sit; sequitur, ut etiam pacis conditiones, quas Aeschines suaserat, urbi summe damnosas esse dicat. Maxima quidem detrimenta et incommoda attulit pax, quum Amphipolis ceteraque oppida, quae Philippus expugnata possidebat, regi cederet, sed haec necessaria fuerunt: Demosthenes omnium primus et optime itellexerit de recuperandis his urbibus cogitari omnino non posse.

Alia autem fuit pax, qualem legati in Macedonia mutaverunt: haec haud dubie multo damnosior fuit: Phocenses Halensesque pace exclusi sunt; Cardia regi concessa est. At ita agit Demosthenes, ut fere semper, quum de pace loquatur, quae damnosa fuerit, de hac pace in Macedonia regi concessa cogitet. Si Demosthenes vere et recte disputare voluisset hanc pacem, quam Athenienses ipsi decreverunt, et illam, quam legati Philippo concesserunt, separare debuit. 55 quidem recte pacem *τὴν κατὰ τῆς πόλεως αἰσχύνην* vocat, nam de ea dicit qua Philippo Phocenses Halensesque traditi sunt; etiam 97 vocatur *ἐπικίνδυνος καὶ σφαλερὰ καὶ ἄπιστος;* sed 150 jam ea pax quam ipsi Athenienses decreverunt *αἰσχρὰ καὶ ἀναξία τῆς πόλεως* esse dicitur, additur quidem: *οὐδὲν ἀνήκεστον ἦν τῶν πεπραγμένων;* 143 haec pax describitur et valde vituperatur.

At utut haec res se habet, sive damnosam fuisse pacem et flagitiosam urbi, sive necessariam et tam secundam, ut tempora et res permittebant, putamus, Demosthenes ipse huic paci Philocrateae, omissis verbis *πλὴν Φωκέων καὶ Ἁλέων,* suffragatus est: itaque non recte facit, quod Aeschinem vituperat de hac pace; nam quum hoc nobis nullo modo persuadere possimus, ipsum Demosthenem corruptum fuisse, quamquam Aeschines id contendit, hoc tamen sequitur, Demosthenem illo temporis momento pacem necessariam et aut

prosperam aut saltem non infaustam habuisse. Itaque nunc ad hoc transeamus, ut Aeschinem et Demosthenem illis diebus unum idemque secutos esse, neque inimicitiam inter eos fuisse, demonstremus.

Prima concione 18 Elaphebolionis die habita hoc modo agebatur: Non senatusconsultum, sed synedrorum rogatio, de qua ageretur, proposita est. Statim ab initio actionum quin Philippi epistola recitata sit, de qua Demosthenes 41 dicit, dubitari non potest. Tum Macedonum legati introducti sunt, qui conditiones: sub quibus Philippus pacem inire vellet cum Atheniensibus, proposuerunt: eaedem fere fuerunt, quas Philocrates in psephismate perscripsit; quamobrem Phocenses Halensesque pace excludi vellet, haud dubie argumenta et promissa protulerunt. Legatis submotis de pacis conditionibus agebatur: Philocratis et synedrorum rogationes in medium proferebantur: nonnulli quidem etiam iis conditionibus repugnaverint, quibus Amphipolis Pydna ceteraque regi concederentur, sed pauci tantum putamus et pauca tantum verba facientes: de hac conditione, quae pacis fundamentum quoddam fuit, *ἑκατέρους ἔχειν ἃ ἔχουσιν*, non magna dissensio fuit haud dubie. Sed num foedus quoque cum rege iniretur quibusque conditionibus, vehementissime certatum est. Philocrates foedus fieri rogaverat; synedri ea tantum conditione, ut ceteris Graecis hujus foederis participes fieri liceret. Pervicerunt Demosthenes Aeschines ceterique qui synedrii psephisma probaverunt et commendaverunt; Philocratis rogatio, quae praeterea etiam, ut Phocenses et Halenses pace excluderentur, scripserat, improbabatur et repellebatur, ita ut postero die eum ne audire quidem vellet populus. Quum Demosthenes audientes ita affectos esse videret, ut statim de rogationibus, quae propositae erant, populus in suffragia mitteretur, efficere voluisse videtur, cui consilio Aeschines obstitit. (Dem. de f. l. 144: *κρατοῦντος ἐμοῦ τὴν προτέραν ἡμέραν καὶ πεπεικότος ὑμᾶς τὸ τῶν συμμάχων δόγμα κυρῶσαι καὶ καλέσαι τοὺς πρέσβεις τοὺς τοῦ Φιλίππου ἐκκρούσας οὗτος εἰς τὴν ὑστέραν* —). Qua de re Aeschines vituperari non potest: antea decretum erat, ut postero die suffragia ferrentur, rectissime igitur rem distulit in alterum diem.

Omnia haec Demosthenis et Aeschinis verbis confirmantur et probantur: Aesch. 3, 71. Dem. de f. l. 13 sqq. 143 sq.

Putaverunt haud dubie Aeschines et Demosthenes, quum paci his conditionibus ab Atheniensibus decernendae operam darent, Macedonum legatos conditiones accepturos et probaturos esse. At has conditiones regem accipere non posse declaraverunt legati: foedus cum civitatibus, quibuscum bellum gessisset, quoque in aeternum devinceretur, ferire eum non posse; causas proposuerunt, cur Phocenses Halensesque

pace excludere vellet; de Phocensium rebus postea communi Amphictyonum decreto decernendum esse; cum Athenis foedere faciendo steterunt legati: hoc tantum modo Philippo et Atheniensibus conjunctis, facile res Graeciae perturbatas componi et quietem pacemque restitui.

Quod persuaserunt Demostheni Aeschinique: nam hoc fere modo inter legatos Macedonum et Atheniensium populi duces illo die post concionem habitam actum esse, per se ipsum intelligitur [1]. Secundo die statim concionis initio Demosthenes ex hac sententia verba facit: Aesch. 3, 71 sq: *οὐδὲν ὄφελος ἔφη τῶν χθὲς εἰρημένων εἶναι λόγων εἰ ταῦθ' οἱ Φιλίππου μὴ συμπεισθήσονται πρέσβεις οὐδὲ γιγνώσκειν ἔφη τὴν εἰρήνην ἀπούσης συμμαχίας. οὐ γὰρ ἔφη δεῖν — ἀποῤῥῆξαι τῆς εἰρήνης συμμαχίαν οὐδὲ τὰ τῶν Ἑλλήνων ἀναμένειν μελλήματα, ἀλλ' ἢ πολεμεῖν αὐτοὺς ἢ τὴν εἰρήνην ἰδίᾳ ποιεῖσθαι.* Quae Demosthenem ita fere dixisse credimus: nam quod dicit, primi diei actiones nihil prodesse, nisi a Macedonum legati probantur, recte se habet; cetera verba protulerit, ut extemplo foedus cum Philippo Athenienses facere suaderet et probaret. Antipatrum in suggestum vocavit, qui regem foedere cum Atheniensibus faciendo staturum esse et ut Phocenses Halensesque pace excluderentur, postulare, declaravit. Postremo huic postulato an jam tunc Demosthenes repugnaverit, nescimus; postea haud dubie, ut videbimus.

Quibus dictis ii rhetores et demagogi, qui bello continuando operam dederunt, talia verba fecerunt, quae Aeschines 2, 74 affert: *περὶ μὲν τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως οὐδὲν ἐνεχείρουν λέγειν, ἀποβλέπειν δὲ εἰς τὰ προπύλαια τῆς ἀκροπόλεως ἐκέλευον ἡμᾶς καὶ τῆς ἐν Σαλαμῖνι πρὸς τὸν Πέρσην ναυμαχίας μεμνῆσθαι καὶ τῶν τάφων τῶν προγόνων καὶ τῶν τροπαίων.* Quibus Aeschines ea oratione respondit, quam Demosthenes ei saepius exprobrat: hortatus est, ne Athenienses animis perturbatis et deceptis bellum continuarent, quum pax necessaria esset nec bellum geri posset. Aeschines quoque et Philocrates aliique, quid rex promiserit et velit, quum his conditionibus stet, exposuerint: legatos ipsos populo promissa fecisse, Demosthenes negat 44. 63.

Postquam Aeschines Demosthenes aliique fortasse paci iis fere conditionibus, quas Macedonum legati proposuerant, faciendae suffragati sunt, Philocrates denuo rogationem suam proposuit. Sed non prorsus cum hac Demosthenes consensit: operam dederat priore die, ut synedrorum rogatio perferretur et Phocenses Halensesque pacis participes fierent: intellexerat, talem pacem a Philippo concessum non iri; itaque pro foedere quoque inter Athenienses et Philippum fa-

1) Cfr. Boehnecke l. l. 396.

ciendo verba fecit, sed ut Phocenses Halensesque pace comprehenderentur summopere studuit; non est enim viri qui rempublicam capessivit, ut, quum id quod sibi proposuit consequi non possit, totum se removeat a rebus publicis, sed ut quam plurima saltem efficiat et consilio quod sequitur quam maxime appropinquet, omnibus viribus studet. Ita quoque Demosthenes egisse videtur et ad hoc spectat illud quod Amyntor in testimonio dicit psephisma, quod Demosthenes scripserit: Aeschines plane cum Philocratis psephismate id consensisse dicit, sed id prorsus veritatis fide abhorrere jam diximus; attamen si Amyntor de psephismatis sententia verba faciebat, sub iisdem fere conditionibus id scriptum fuisse, sub quibus Philocratis rogatio scripta fuerit, confirmasse eum putamus; itaque in verbis et sententia cum Philocratis psephismate quam maxime consensisse hanc, de qua Amyntor testimonium dat Aeschini, rogationem, verisimillimum est. Nobis quidem persuasum est, hoc loco de illa mutatione cogitandum esse, cujus Demosthenes 159 mentionem facit: *τὴν τὲ γὰρ εἰρήνην οὐχὶ δυνηθέντων ὡς ἐνεχείρησαν οὗτοι πλὴν Ἁλέων καὶ Φωκέων γράψαι ἀλλ' ἀναγκασθέντες ὑφ' ὑμῶν τοῦ Φιλοκράτους ταῦτ' ἀναλεῖψαι, γράψαι δ'ἄντικρυς Ἀθηναίους καὶ τοὺς Ἀθηναίων συμμάχους.* Quae verba (*πλὴν Ἁλέων καὶ Φωκέων*) hoc die ejiciebantur: nam primo totum Philocratis psephisma repellebatur et synedrii rogationem populum probaturum et decreturum esse expectabant omnes; itaque etiam haec verba non ejecta esse videntur illo die, quum totum psephisma respueretur; sed postero die, quum Philocratis psephisma a populo probatum et decretum iri pro certo haberetur, Demosthenem id studuisse putandum est, ut hanc saltem Philocratis conditionem tolleret. Hac cum sententia Amyntoris testimonium plane congruit.

At quaeras fortasse qua de causa Demosthenes hoc psephisma, quum fere idem atque Philocratis fuisse dixerimus, litteris consignaverit? et si litteris consignavit, cur Aeschines non psephisma ipsum proferat, sed testimonium tantum Amyntoris, quum ex psephismate ipso rectius intelligi potuerit, quid Demosthenes rogaverit illo die? Recte putas: omnia psephismata in tabulario, ubi acta publica custodiebantur, conservata sunt; at verisimile est, Philocratem, quum populum Demosthenis rogationi, quae ut verba *πλὴν Ἁλέων καὶ Φωκέων* omitterentur postulabat, favere videret, ipsum hanc mutationem suam fecisse et sic, a Demosthene rogatione retracta, Philocratem ex Demosthenis sententia rogationem mutasse, mutatamque hanc Philocratis rogationem a populo probatam et decretam esse.

Quod autem, quamvis fere idem fuerit illud Demosthenis psephisma atque Philocratis, tamen litteris consignatum

sit, mirari non debes: lex fuit Atheniensibus, ut omnes rogationes litteris consignatae proedris traderentur, ut recitarentur et deliberarentur et populus de iis accipiendis aut removendis in suffragia mitteretur [1]). Quamquam perpaucis tantum verbis a Philocratis psephismate discrepuit, tamen aliud fuit, quod litteris consignandum fuit [2]).

Quibus expositis id quod ante in medium protulimus repetendum est, Aeschinem et Demosthenem illis diebus inimicitiam inter se nondum habuisse, sed in administranda civitate unum idemque secutos esse. Num Aeschines jam tunc corruptus fuerit, nescimus, sed nobis quidem persuadere non possumus: causam non esse putamus, cur primo die rogationi Philocrateae repugnaverit postero suffragatus sit: itaque dicit: *τρίτην μαρτυρίαν μαρτυρεῖ ἡ τῆς αἰτίας ἀπιθανότης*, quod quomodo explicandum sit jam diximus; verisimilius ergo esse videtur, eum aeque atque Demosthenem pacem necessariam habuisse et alias conditiones urbem consequi non posse putavisse utrumque.

At quaeras fortasse, cur non, si ita res se habeat, omnia ex veritate narraverint. Demosthenes totam per accusationem id spectat, ut Aeschinem inde a primis actionum initiis pro Philippi commodis et utilitate egisse demonstret, se ipsum numquam cum Aeschine ulla ratione conjunctum fuisse; sequitur, ut etiam his diebus Aeschinem solum paci faciendae operam dedisse contendat. Dicit 13 sq. se et Aeschinem primo die pro rogatione synedrorum verba fecisse, 15 surrexisse Aeschinem *ἐμοῦ τῷ τῶν συμμάχων συνηγοροῦντος δόγματι καὶ τὴν εἰρήνην ὅπως ἴση καὶ δικαία γένηται πράττοντος* et pacem Philocrateam probasse. Nonne necesse fuit Demosthenes ea, quae contra Aeschinem dixisset, proferret? Quid volunt haec verba *ἐμοῦ — τὴν εἰρήνην ὅπως ἴση καὶ δικαία γένηται — πράττοντος?*

Aeschines autem per totam defensionem idem atque Demosthenes sequitur, ut non se, sed Demosthenem cum Philocrate conjunctum corruptum et venditum ex Philippi sententia et optato dixisse et egisse. Itaque non accurate et distincte de his diebus agit, sed judices perturbat et id studet, ut vera singula proferens, quomodo horum dierum actiones revera fuerint, dissimulet.

In orationibus Ctesiphonteis partes inter se permutaverunt Aeschines et Demosthenes: ille accusat, hic reus est. Tunc multis annis postquam singulae res evenerunt, audacius jam res in medium proferre potest Aeschines: omnia quae Demosthenes fecit et dixit narrat, quid ipse egerit,

1) Schoemann, griechische Alterthümer I, 398.
2) Cfr. etiam G. Grote l. l. XI, 547.

dissimulat: recte autem et ex veritate Aeschinem id quod Demosthenes illis diebus egerat describere, ipsa ex Demosthenis oratione intelligitur, qui nullum verbum de toto hoc tempore dicit, sed sophistice pauca de legatis disserens, statim ad tempora sequentia transit. Quam ob rem? Quod de hoc tempore excusare se non potuit, non quia corruptus illo die non ex vera sententia locutus erat, sed quod si defendere se voluisset confitendum ei fuit, se idem quod Aeschines secutus erat egisse.

Quod igitur in oratione de f. l. habita de hoc tempore perpauca tantum dicit, quamquam ipse primordia accusandi inde ab eo die se capere dicit, quo de pacis conditionibus populus deliberaverit, excuses: nam accusationis caput situm est in falsa legatione; quod vero in oratione Ctesiphontea omnino nihil de hoc tempore dicit, quamquam id sequitur in hac oratione, ut totam vitam suam purget et illustret et quamquam Aeschines per 25 paragraphos totum hoc tempus ei crimini dedit, gravissimum argumentum esse videtur nobis, quo, ut ea quae Aeschines Demostheni exprobrat de hoc tempore vera esse putemus, moveamur.

Et quaenam sunt haec crimina? *πρῶτον (ἔπραττε) ὅπως μὴ περιμείνητε τοὺς πρέσβεις οὓς ἦτε ἐκπεπομφότες παρακαλοῦντες ἐπὶ Φίλιππον, ἵνα μὴ μετὰ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἀλλ' ἰδίᾳ ποιήσησθε τὴν εἰρήνην· δεύτερον δ' ὅπως μὴ μόνον τὴν εἰρήνην ἀλλὰ καὶ συμμαχίαν εἶναι ψηφιεῖσθε πρὸς Φίλιππον* —. de quibus jam disputavimus et Aeschinem Demosthenemque in his rebus communiter egisse demonstravimus. Tertium est crimen *ὅπως Κερσοβλέπτης ὁ Θρᾴκης βασιλεὺς μὴ ἔσται ἔνορκος μηδὲ μετέσται τῆς συμμαχίας καὶ τῆς εἰρήνης αὐτῷ· παρηγγέλλετο δ' ἐπ' αὐτὸν ἤδη στρατεία.* Aesch. 3, 64 sq.

Idem quoque in oratione de f. l. habita contendit Aeschines 81—88: itaque hoc jam examinabimus et in hac quoque re Demosthenem Aeschinemque eodem consilio usos esse videbimus.

Postquam 81, quae ratio inter Kersobleptem et Philippum fuerit illo tempore, neque ejus quum de pace ineunda actum sit mentionem factam esse exposuit, addit verba 32: *ἤδη δὲ ἡμῶν κεχειροτονημένων ἐπὶ τοὺς ὅρκους οὔπω δ' ἀπηρκότων ἐπὶ τὴν ὑστέραν πρεσβείαν ἐκκλησία γίγνεται ἐν ᾗ Δημοσθένης ὁ νυνὶ κατηγορῶν ἐμοῦ λαγχάνει προεδρεύειν.* Quibus in comitiis Kritobulum Lambsacenum surrexisse et se a Kersoblepte missum esse dixisse, qui, ut Philippi legatis jusjurandum una cum Atheniensium sociis praestaret et sic in sociorum numerum reciperetur, postularet. Quibus dictis Aleximachus rogationem proedris recitandam tradidit 83 *ἀποδοῦναι τοὺς ὅρκους τοῖς Φιλίππου πρέσβεσι καὶ συναπογραφῆναι Κερσοβλέπτην ἐν τοῖς συμμάχοις.* Qua rogatione reci-

tata Demosthenes surrexit seque de eo populo suffragium permissurum esse negavit.

Quod proedro facere licebat si ἐνδείξεως γραφὴν experiri voluit [1]; exemplum praebet Socrates, qui, quum duces ad Arginusas victoria reportata mortuos non sustulissent nec collegissent et Atheniensium populus capitis eos condemnaturus esset, suffragia fieri vetuit Plat. Apolog. 32. A. B. Quo jure tempore Demosthenico perraro proedri usi esse videntur. Demosthenes pacem cum Philippo modo factam turbaturum se esse negat: de hac re quam Aleximachi rogatio vellet in eis comitiis quibus pax decreta esset dicendum fuisse.

Num Kersobleptes Atheniensium socius fuerit itaque jus, quo petat ut paci adscribatur, habuerit, quaerendum esse videtur: sed nobis quidem quaestione opus esse non videtur. Si Kersobleptes socius fuisset, etiam in sociorum synedrio legatum habuisset; non orare debuit ut jusjurandum praestaret, sed postulare potuit. Etiam verba Aeschinis ipsa huic sententiae repondent: Kersobleptes petit συναπο γραφῆναι ἐν τοῖς συμμάχοις: non fuit socius sed fieri voluit, quum hoc modo Philippum, qui bellum Thraciae intulerat, propulsare et Atheniensium opem sibi comparare studeret. Sed si omniá haec argumenta, quae Kersobleptem socium Atheniensium non fuisse demonstrent, omittas et negligas, id tamen dubitari non potest, quin Philippus, si Kersobleptes Atheniensium socius fuisset, aeque atque Halenses et Phocenses, ut Kersobleptes quoque a pace excluderetur, postulaturus fuisset: nam Thraciae regi bellum illaturus erat Philippus; sed Aeschines de Kersoblepte pro contione mentionem non fuisse dicit. Et hoc recte: eodem jure Athenienses postulare potuissent, ut Illyrii et Triballi pacis participes fierent, si Philippus illo tempore cum his bellum gessisset: rex Thraciae sui juris fuit nec Atheniensibus jus fuit, quo eum aut pace excluderent aut paci adscriberent. Si priusquam pax ab Atheniensibus iniretur, rex Thraciae, ut in societatem reciperetur, petiisset, res alia fuisset: Athenienses tunc postulare potuissent, si eum receperant, ut pacis particeps fieret — quin vero id a Philippo non concessum foret, dubitari non potest —, sed tunc ne jus quidem iis fuit, ex quo id postularent tantum: pax inita erat et ii socii ea tenebantur, qui illo die jam in societatem cum Atheniensibus recepti erant.

Ipsis igitur ex Aeschinis verbis intelligitur, qua ratione Demosthenes in administranda republica egerit: pax facta erat et quum aliam urbs consequi non posset, suasit eam

---

1) Schoemann, griech. Alterth. I, 398. Meier und Schoemann, der attische Process 239 sqq.

nec hoc psephismate decreto deleri eam voluit. Rectissime igitur Demosthenes egit et quid Aeschinis criminatio sibi velit videre jam licet. Cur non ipsum psephisma recitaverit Aeschines, sed testimonium Aleximachi, qui rogationem tulit, nescimus; sed rogationem perlatam et decretam esse et Aeschines ipse verbis *τὸ ψήφισμα ἐπεψηφίσθη* docet et Demosthenes 174 qui *παρὰ τὸ ψήφισμα — ἔκσπονδον Κερσοβλέπτην* ab Aeschine factum esse, dicit[1]).

Itaque etiam sophistice quidem, sed ex veritate Dem. de cor. 27. Aesch. 2, 9. 3, 61. Kersobleptes *σύμμαχος* vocatur: nam ipsa Aleximachi rogatione accepta, Kersobleptes in sociorum numerum receptus erat. Sed postea bello finito et rebus compositis umquam de hac symmachia sermonem fuisse, non putamus.

Aeschines 85 dicit: *ὡς δ' ἡ παροῦσα ἐκκλησία διελύθη, ἐξώρκιζον τοὺς συμμάχους οἱ τοῦ Φιλίππου πρέσβεις ἐν τῷ στρατηγίῳ τῷ ὑμετέρῳ* et 86 Demosthenem sibi exprobrasse dicit *ὡς ἀπὸ τῶν ἱερῶν ἐγὼ Κριτόβουλον ἀπήλασα τὸν πρεσβευτὴν τὸν παρὰ Κερσοβλέπτου.* Quae verba in Demosthenis oratione, qualem nunc habemus, non inveniuntur: itaque, ut cognoscamus, quomodo res se habuerit, Aeschines quae hîc et 3, 74 dicit diligentius examinemus[2]).

Negare omnino videtur 2, 86, Kritobulum a sacris repulsum esse; sed 3, 74 rem aliter narrat: Philocrates rogationem tulit in illis comitiis, quibus de Kersoblepte in societatem recipiendo deliberabatur, *ἀποδοῦναι τοὺς ὅρκους τοὺς πρέσβεις τοῖς παρὰ Φιλίππου ἐν τῇδε τῇ ἡμέρᾳ τοὺς συνέδρους τῶν συμμάχων:* sed quum Kersobleptes synedrum non habuisset Athenis, sacrorum et jurum jurandorum participem eum non factum esse: hoc igitur loco de Kritobulo nihil.

Itaque jam quae veritas sit cognoscere licet: Kersobleptes illo psephismate, quod Aleximachus tulit, in societatem receptus est; qua ex re jus ei redditum est, ut synedrum in concilium mitteret; sed illo die synedrum nondum habuit Athenis: Kritobulus non synedrus fuit, sed legatus regis, quem ad hunc solum finem miserat, ut de Kersoblepte in societatem recipiendo cum Atheniensium populo deliberaret. Itaque quum Philocrates hoc fortasse consilio, ut Kersobleptem jure jurando et pace excluderet, rogationem pertulisset, ut synedri jura juranda Philippi legatis praestarent, Kritobulus ut et ipse jusjurandum daret postulans, auctoribus Macedonum legatis, consentientibus strategis, sacris exclusus est. Nam quin Philippi legati huic Kritobuli consilio vehe-

---

1) Aliter Boehnecke l. l. 399; cfr. Franke l. l. 29.

2) Cf. Schaefer l. l. II, 228 sqq. Westermann l. l. III, 44 sqq. Franke l. l. 28 sqq. Grote l. l. XI, 550 sq. not. 68.

mentissime obstiterint, non dubitamus: ipsa hac re pacem, quam populus jam decreverit, mutari et turbari declaraverint.

Aesch. 2, 86 strategos hoc testimoniis affirmasse putamus, Kritobulum a se ipsis sacris et jurejurando prohibitum esse; vide enim quid Aeschines dicat: *ὡς ἀπὸ τῶν ἱερῶν ἐγὼ Κριτόβουλον ἀπήλασα:* se ipsum (*ἐγὼ ἀπήλασα —· εἰ δ᾽ ἄρα ἐγὼ ἐτόλμων τοῦτο ποιεῖν* —) Kritobulum prohibuisse negat et addit *παρόντων μὲν τῶν συμμάχων, ἐψηφισμένου δὲ τοῦ δήμου, παρακαθημένων δὲ τῶν στρατηγῶν, πόθεν τοσαύτην ῥώμην λαβών;* quae verba hoc sibi volunt: nullo modo fieri potuit, ut ego, quippe qui jus, quo Kritobulum repellerem a sacris, nullum omnino haberem id quod Demosthenes crimini mihi dedit, facerem; nam et symmachi adfuerunt et contra populi voluntatem, qui Kersobleptem in sociorum numerum recipi decreverat, fecissem et strategos, quibus religio jurumjurandorum accipiendorum data erat, in jure interpellavissem; concludit igitur: *πόθεν τοσαύτην ῥώμην λαβών*; Rem omnino non factam esse ex his verbis non sequitur, sed de eo, quod Kritobulus a sacris prohibitus erat a strategis, dubitari non posse videtur.

Qua cum re plane Philippi epistola (Dem. 12) consentit: nam etiamsi spuriam eam esse cum Schaefero [1]) aliisque viris doctis putes, de rebus tamen quae narrantur dubitari posse non videtur [2]). Legitur Dem 12, 9: *ἐγὼ δὲ τούτους (Τήρην καὶ Κερσοβλέπτην) οὔτε τῶν περὶ τῆς εἰρήνης συνθηκῶν οἶδα μετασχόντας ὑμῖν οὔτ᾽ Ἀθηναίους ὄντας ἀλλὰ — Κερσοβλέπτην τοῖς παρ᾽ ἐμοῦ πρεσβευταῖς ἰδίᾳ μὲν τοὺς ὅρκους ὀμόσαι προθυμούμενον, κωλυθέντα δ᾽ ὑπὸ τῶν ὑμετέρων στρατηγῶν ἀποφαινόντων αὐτὸν Ἀθηναίων ἐχθρόν.* Quae verba hoc sibi volunt: Kersobleptis legatus ex populi dereto, quo rex Thraciae in societatem Atheniensium receptus erat, postulavit, ut Philippi legatis jusjurandum praestaret, prohibitus autem est a strategis, qui jurum jurandorum religioni praefuerunt. *Ἰδίᾳ* est pro se ipso, ratione non habita Philippi legatorum voluntatis, qui ab eo jusjurandum se accepturos esse negaverunt. Quod adjicit Philippus *ἀποφαινόντων αὐτὸν Ἀθηναίων ἐχθρόν* hoc vult, ut Athenienses de inimicitia, quae antea et diu inter eos et Kersobleptem fuerat, moneantur; nam haec causa non fuit, ex qua strategi Kritobulum repulerint, sed adjicit, tamquam ipsi Atheniensium strategi hoc consilio Kersobleptem excluserint.

De diebus sequentibus Demosthenes 150 sqq. loquitur, Aeschines 90. Non attente et considerate audientes rerum compositio ab Aeschine hoc loco facta facile decipit et fallit;

---

1) l. l. III Beilage IV, 4. pag. 110 sqq.
2) Cf. Schaefer l. l. pag. 112 sq. Grot. l. l. XI, 551. not. 68.

sed paullum tantum cogitans et animum attendens statim intelliges, quam impudenter Aeschines hoc loco mentiatur et quam sophistice verba praetendat. Vicesimo tertio mensis Elaphebolionis die Hieron Oros occupatum esse dicit, attamen usque ad tertium Munychionis diem Athenis cunctatum esse Demosthenem. At si Hieron Oros 23 Elaphebolionis die expugnatum erat, nuntius de hac re nondum 23 Elaphebolionis die Athenas allatus erat; Hieron Oros castellum trans Chersonesum Thracium situm fuit et facile fieri potuit, ut expugnati loci nuntius nono demum die, postquam expugnatum est, Athenas afferretur. Nobis persuasissimum est, ipsum illud Demosthenis psephisma, quo legatos quam celerrime proficisci jussit, ad expugnatae urbis nuntium Athenas allatum pertinere[1]). Quae causae fuerint, quibus Athenienses, ut legatos non prius ad Philippum miserint, moti sint, nescimus; sed suspicio est, ipsos legatos Macedonum dixisse, Philippum si comperturus fuerit, Athenienses pacem fecisse, statim ex Thracia rediturum esse; quod eo solo consilio susceptum esse, ut Athenienses quam celerrime ad accipiendas pacis conditiones moveret; si facta foret, expeditionem in Thraciam susceptam statim finiturum eum esse. Itaque cunctati sunt legati, donec Philippus in Macedoniam reversus foret. Tunc loco munito et qui non longe a Chersoneso situs huic ipsi summum periculum afferret expugnato, illam expeditionem non per jocum aut aliquo levioris momenti consilio susceptam esse, subito intellexerunt, sed Atheniensium possessiones magnum in periculum adducturam esse. Itaque Demosthenes illud psephisma scripsit, ut legati quam celerrime proficiscerentur et Proxenus eos ubicumque Philippus esset apportaret[2]).

Hoc modo omnia perspicua esse videntur. *Ἐπειδὴ γὰρ ἐκκλησία μὲν οὐκέτ' ἦν ὑπόλοιπος οὐδεμία — τὴν βουλὴν ποιήσαντος τοῦ δήμου κυρίαν:* populus senatum, ut in hac re faceret quod sei placeret, *αὐτοκράτορα* fecerat. *Ἐπειδὴ — οὗτοι οὐκ ἀπῄεσαν ἀλλ' αὐτοῦ διέτριβον* — Dem. de l. l. 154 sophistice sunt dicta: nam etiam Demosthenes Athenis

---

1) Grote l. l. XI, 557 Charetis litteras, quibus Hieron Oros expugnatum esse nunciavit, jam concionis illius die Athenas perlatas esse putat; sed id Aeschinis verba non dicunt; hoc solum dicit: *ἀκούσατε δὴ τῆς Χάρητος ἐπιστολῆς ἣν ἐπέστειλε τότε τῷ δήμῳ, ὅτι Κερσοβλέπτης ἀπολώλεκε τὴν ἀρχὴν καὶ Ἱερὸν ὄρος κατείληφε Φίλιππος ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς ἕκτῃ φθίνοντος· Δημοσθένης δ' ἐν τῷ δήμῳ προήδρευε τούτου τοῦ μηνός, εἷς ὢν τῶν πρέσβεων, ἑβδόμῃ φθίνοντος.* Voces *τότε* et *τούτου τοῦ μηνὸς* consilio incertae sunt: at si revera jam illo aut sequente die nuntius Athenas perlatus fuisset, id ipsum dixisset haud dubie Aeschines et pressisset.

2) Cf. Schaefer l. l. II, 231 spp. Aliter G. Grote l. l. XI, 557 sp.

fuit et, si jam prius illud intellexisset, jam 22 Elaphebolionis die aut prius etiam psephisma scripsisset.

His diebus quomodo Athenis actum sit exposuimus et Aeschinem Demosthenemque his temporibus unum idemque spectasse secutosque esse vidimus. Quum vero, Demosthenem corruptum fuisse, nullo modo persuadere nobis possimus, etiam Aeschinem in prima legatione Philippo jam se vendidisse negamus. Qua cum re ipsa Demosthenis verba consentiunt, quae 13 *μέχρι τοῦ δεῦρ' ἐπανελθεῖν ἀπὸ τῆς πρώτης πρεσβείας ἐμὲ γοῦν διεφθαρμένος καὶ πεπρακὼς αὑτὸν ἐλάνθανεν.* Fidem habuerunt ambo regis promissis fallacibus et ejus amicitiam urbi summae saluti fore speraverunt. Hanc ob rem Demosthenes non damnandus esse nobis videtur, sed hoc vituperamus, quod non ex vera sententia sua, sed sophistice et mendaciter adversario res et verba crimini dat, quorum particeps fuit ipse, quaeque omni culpa carent.

Ad secundam legationem nunc transeamus. De itinere[1]), quod fecerint legati, Demosthenes 155 sqq. dicit. Demosthenes legatos invitos educit, Oreum veniunt, ubi cum Proxeno congrediuntur: sed tum navigatione neglecta et mandatorum exsecutione, *ἐπορεύοντο κύκλῳ* et 23 dies, antequam in Macedoniam venirent consumpserunt. Postquam in Macedoniam venerunt, alios 27 dies ibi desederunt, quo tempore Philippus Thraciae loca expugnavit. Demosthenes 156 dicit: *πολλὰ λέγοντος ἐμοῦ καὶ θρυλοῦντος ἀεὶ τὸ μὲν πρῶτον ὡς ἂν εἰς κοινὸν γνώμην ἀποφαινομένου, μετὰ ταῦτα δ' ὡς ἀγνοοῦντας διδάσκοντος, τελευτῶντος δ' ὡς ἂν πρὸς πεπρακότας αὑτοὺς καὶ ἀνωσιωτάτους ἀνθρώπους οὐδὲν ὑποστελλομένου.* At quum saepissime omnia, quae inde a prima legatione fecerit Aeschines, corruptum et venditum eum egisse, dixerit Demosthenes, nunc vero primum se ut communi consilio utentes legatos hortatum esse, ut in Thraciam irent, tum ut ignavos docuisse, postremo ut in veditos et impurissimos invectum se esse dicat, summam offensionem haec habent. Scimus quidem his verbis id, quod Demosthenes antea contendit, Aeschinem jam post primam legationem corruptum a rege omnia ex ejus sententia egisse, non penitus refutari: nam hoc loco de omnibus legatis verba facit, illic de Aeschine solo: sed si Demosthenes scivisset, Aeschinem jam in prima legatione se regi vendidisse, extemplo, quum legati mandata efficere nollent et Aeschines semper aperte refragaretur et omnibus dictis Demosthenis Atheniensiumque decretis adversaretur, ut Demosthenes 157 dicit, ut in venditos et impurissimos homines invectus esset, non postremo demum. Itaque etiam hic id, quod saepius jam diximus, probari videmus, Demosthenem

1) Cfr. Schaefer l. l. II, 234 sqq.

crimina ex tempore posteriore in prius referre et jam post primam legationem omnia ex Philippi commodis et utilitate egisse Aeschinem sophistice contendere.

Quid Aeschines contra? Legati una cum Demosthene iter facere nolebant *ὁρῶντες αὐτὸν ἐν τῇ προτέρᾳ πρεσβείᾳ πᾶσιν αὐτοῖς ἐπιβεβουλευκότα;* quum ex 126 Aeschinem una cum Aglaocreonte et Jatrocle, quibuscum etiam prius iter fecerat, profectum esse cognoscamus, putaveris fortasse, et nobis quidem persuasum habemus, quartum illius societatis, ut etiam prima in legatione, Demosthenem fuisse, sed probari id non potest. Cautissime adjicit Aeschines: *ὅπου δυνατὸν ἦν.*

Thraciae mentionem factam esse omnino negat, nam *οὔτε τὸ ψήφισμα τοῦθ' ἡμῖν προσέταττεν ἀλλ' ἀπολαβεῖν μόνον τοὺσ ὅρκους καὶ ἄλλ' ἄττα, οὔτ' ἐλθόντας πράττειν οὐδὲν ἐνεδέχετο τῶν περὶ Κερσοβλέπτην ἤδη γεγενημένων ὡς ἀρτίως ἠκούσατε*: recte quidem nam psephisma dicit Dem. 154 — *τὸν στρατηγὸν Πρόξενον κομίζειν αὐτοὺς ἐπὶ τοὺς τόπους ἐν οἷς ἂν ὄντα Φίλιππον πύνθανηται,* vocem Thraciae non continet. Vide igitur, ut sophistice agat Aeschines; rectius autem putaveris fortasse, Aeschinem hoc loco de mandatis cogitare, quae legatis data erant pro contione: nam proficisci ubicumque Philippum invenirent, illo die quum crearentur et mandata acciperent, non jussi erant: quod Demosthenis psephismate a senatu adjectum est. Quod dicit Aeschines *οὔτ' ἐλθόντας πράττειν οὐδὲν ἐνεδέχετο* falsum esse facile intelligas: etiamsi Hieron Oros expugnatum erat, Philippo inde ab expugnato hoc loco usque ad reditum in Macedoniam 50 dies opus fuerunt: 23 enim dies in itinere consumpserunt, 27 in Macedonia legati desederunt donec rex veniret, ex quo, quid sit *τῶν περὶ Κερσοβλέπτην ἤδη γεγενημένων,* intelligere licet.

Quid fecerit ipse in Macedonia[1]) Demosthenes 166 sqq. narrat: captivos redemit et, ut Philippus ea pecunia quam hospitalium munerum vice legatis offerebat, eos redimeret, petebat. Aeschines 99 sq. duos homines Demosthenem secutos esse dicit, quorum alterum argenti talentum secum portare Demosthenes dixerit. Aeschines dubitare videtur, rem profecto ita se habuisse; sed quum Demosthenes 170 ipsos illos producat, quos redemerit et 173 sibi a senatu auctoritatem datam esse, ut de captivis ageret, quomodo ei placeret, et a fide veritatis et a Demosthenis moribus omnino non abhorret, quin in hac re, de suo pecuniam insumens, laudem sibi comparare studuerit et civium benevolentiam gratiamque. Quum autem 171 sqq. adjicit, se ea sola de causa secundam legationem suscepisse, ut captivos, quos se

1) Cfr. Schaefer l. l. II, 243 sqq.

redempturum esse in prima legatione promisisset, pecuniam afferret, hoc veritati repugnare nobis videtur. Nam quum usque ad secundam legationem dissensionem et inimicitiam inter Demosthenem et Aeschinem non fuisse viderimus, haec causa non fuit, qua ad secundam legationem suscipiendam motus est; sed praetendit, quum ipsum sibi repugnare intellegit.

Sequitur 1166 sqq. locus, quo Demosthenes Aeschinem ceterosque legatos dona a Philippo accepisse probaturus est. Tota haec narratio summam verisimilitudinis speciem prae se fert; sed quaeras fortasse, num hac re legati culpam sibi contraxerint. De hac re dubitari non potest. Demosthenes alio loco dicit, legem fuisse, ne quis legatus ab aliquo dona acciperet eaque de causa multos jam poenis affectos esse; sed illo tempore etiam tantam severitatem in hac re apud Athenienses fuisse, dubitare licet; itaque Demosthenes hanc rem non tantopere premit et urget, ut expectes fortasse; attamen summa suspicio in legatos movetur hac re [1]).

Etiam in hac legatione quae coram Philippo dixerit [2]), narrat Aeschines, quod, si noveris eum, mirari non debes. Aeschines 101 dicit: *ὡς δ'οὐδεὶς ὑπὲρ τῶν μεγίστων ἐμέμνητο 'αλλὰ περὶ πραγμάτων ἐλαττόνων τὴν διατριβὴν ἐποιοῦντο εἶπον ἐγὼ λόγους οὓς ἀναγκαῖόν ἐστι πρὸς ὑμᾶς ῥηθῆναι.* Dicit se exposuisse ceteris legatis, de expeditione, quam Philippus in Phocidem suscepturus esset, mentionem se facturum esse. Athenienses enim legatis mandasse *πράττειν τοὺς πρέσβεις καὶ ἄλλ' ὅτι ἂν δύνωνται ἀγαθόν;* quibus verbis id voluisse eos, ut legati persuaderent Philippo *Θηβαίων παρελεῖν τὴν ὕβριν Βοιωτῶν δ'ἀναστῆσαι τὰ τείχη.* Demosthenem acerrime huic consilio obstitisse: ea mandata se effecturum esse, quae eis data essent: *ἀπαγορεύω — μὴ συνταράττειν ἡμᾶς πρὸς ἀλλήλας τὰς πόλεις.* Haec omnia per ceteros legatos affirmantur et causa non est, cur dubitemus, ita rem factam esse. Immo verisimillimum est, ita omnia dicta et facta esse ut Aeschines refert: Aeschinem aut a Philippo corruptum dixisse ea, quae ei praescripta erant, aut de sententia saltem et optato regis ita dixisse, pro certo habemus: legatis mandatum erat, ut rex iis jusjurandum praestaret, non ut ad novum bellum gerendum mediam in Graeciam incitarent eum. Sed quum ea, quae Aeschines 106 sq. referat, a Demosthene dicta esse, sumamus, non ipsis illis verbis usum eum esse sequitur: etiam hic ut jam saepe vidimus ita verba refert, ut in adversarium invidiam risumque moveat.

---

1) Cfr. Michael Schmidt quaestiones de Demosthenis et Aeschinis orationibus de falsa legatione pag. 29 sqq.

2) Cfr. Schaefer l. l. II, 239 sqq.

Tum multis verbis ea, quae et Demosthenes et ipse coram Philippo dixerit, refert Aeschines 108 sqq. Etiam hic eadem dicendi ratione utitur, quam semper adhibet, ut Philippi amicum Demosthenem describat illiusque commoda sequentem. Studeamus ne etiam hoc loco, ut, num his narrationibus Aeschineis verum aliquid subsit, quaeramus, an omnino effictas eas esse putemus? Hoc nobis persuadere non possumus: quae Aeschines narrat a veritate non abhorrere nobis videntur, dummodo colorem Aeschineum vel fucum, ut ita dicamus, extergeamus. *Ἀρξάμενος δὲ τοῦ λέγειν πρῶτον διαβολήν τινα ὑπειπὼν κατὰ τῶν συμπρέσβεων ὡς οὐχ ἅπαντες ὑπὲρ τῶν αὐτῶν οὐδ' ὅμοια ταῖς δόξαις ἥκομεν:* recte se habet; legati, Atheniensium mandatis neglectis, in Thraciam non profecti erant; dona fortasse jam acceperant; Aeschines illis verbis, quae ipse legatis se dixisse refert, solum ad id quod Philippus vellet se spectare ostenderat: quam obrem dissensionem, ne inimicitiam dicamus, inter Demosthenem et Aeschinem jam fuisse, summo jure statuendum nobis est. Hic quidem, Demosthenem illis verbis, se solum Philippi amicum esse, ostendere voluisse, judicibus persuasurus est; at res ex contrario se habet.

Etiam ea quae sequuntur verisimilitudini non adversantur: Demosthenem, se cum collegis quibusdam dissentire quidem, dixisse putamus, sed tantum a se abesse, ut Philippo et amicitiae cum eo parandae obsistat, ut summas pro eo operas dederit. Quod ut demonstraret, singula, quae fecerat, percurrit haud dubie. Aeschines finit relationem 112 *ἵνα δὲ μὴ μακρολογῶ —:* scilicet ea, quae Demosthenes post illa dixerat, non refert: quum Demosthenes haec ut prooemium protulisset, ut se paci ineundae et amicitiae cum rege jungendae omnino non obstare demonstraret, tum ea quae Athenienses mandaverant ut legati eorum nomine postularent, exposuit: de Phocensibus Halensibusque, qui ut a pace excluderentur, legati regis postulaverant, aliisque de rebus eum verba fecisse, pro certo habendum est.

Quas minutas esse quaestiones fortasse dixerit quispiam neque interesse, utrum sic dixisse Demosthenem nobis persuadeamus, annon; cur non Aeschinem haec mentiri et fingere putemus, praesertim quum ne testimonio quidem legatorum ceterorum confirmentur? et cur semper verum aliquid in his Aeschinis narrationibus inesse dicamus? At quum legati de legatione referrent, quin etiam de eis quae dixissent et fecissent, multa verba facerent, dubitari non potest; Aeschines ipse testis est, qui totam fere illam orationem, quam coram Philippo habuisset, pro contione, legationis rationes reddentem se repetiisse dicit; deinde etiam inter Athenienses ipsos de his temporibus, de legatis eorumque consiliis et factis

saepissime sermo fuit: duae illo tempore partes Atheniensium fuerunt, quorum alteri Aeschini alteri Demostheni faverunt; omnia quae dicebantur et fiebant, amicitiae et inimicitiae, omnia studia ad hos duos oratores spectabant: defendebantur et accusabantur, singulae eorum actiones acerrime, judicabantur aut probabantur aut damnabantur: quis est qui dubitet, quin illorum verba, quae in Macedonia coram Philippo fecerant, universa nota fuerint Atheniensibus? Et ipsa hac re utitur Aeschines; narrat judicibus res, quas revera ita factas esse constabat, et hoc modo animos eorum decipit et fallit. Si omnia haec ementitus esset Aeschines et novas ignotasque res protulisset, non idem effecisset quod nunc efficit. Tota in hac ratione rerum a veritate deflectendarum et nova decipienteque luce illustrandarum summus artifex nobis esse videtur Aeschines.

At verba quae sequuntur 112: *οὐκ εἶπον, ὡς καλὸς εἶ, γυνὴ γὰρ τῶν ὄντων ἐστὶ κάλλιστον· οὐδ᾽ ὡς δεινὸς συμπιεῖν, σπογγιᾶς τὸν ἔπαινον ὑπολαμβάνων τοῦτον εἶναι. οὐδ᾽ ὡς μνημονικὸς εἶ, σοφιστοῦ τὰ τοιαῦτα νομίζων ἐργολαβουντος ἐγκώμια εἶναι* — Demosthenis esse putemus? Nobis quidem persuadere non possumus, haec verba illo die, quum legati cum Philippo de pacis conditionibus colloquerentur, facta esse. Aut alio tempore dicta sint, quum per coenam fortasse et vinum Philippus, quod laudes suas a ceteris legatis dictas repulisset, jocabatur, et Demosthenes eadem loquendi ratione utens se excusaret, quae Aeschines illo die Demosthenem dixisse judicibus persuasurus est; aut omnino conficta sint ab Aeschine, qui postquam alia verba memoravit, quae Demosthenem dixisse constabat, haec ut eorum effectum augeret falsa et ficta adjicit: at sive hoc sive illo modo res se habet, consequitur Aeschines id quod vult: risum movet judicum de Demosthene et id jam est aliquid apud Athenienses.

Nostrum non est de Aeschinis oratione aliquid dicere; sed quo modo probet, fieri non potuisse, ut res Phocensium alia ratione atque armis et vi compositae sint, id animadvertere operae pretium est: *καὶ μάλιστα μὲν Φίλιππον ἠξίουν μὴ μεθ᾽ ὅπλων ἀλλὰ μετὰ ψήφου καὶ κρίσεως τάκει καθιστάναι, εἰ δ᾽ ἄρα μὴ δυνατὸν εἴη — τοῦτο δ᾽ ἦν πρόδηλον· τὸ γὰρ στρατόπεδον παρῆν καὶ συνήθροιστο — εἶπον* sqq: argumentum nimirum firmissimum et summopere ad persuadendum accommodatum: quia copiae Philippi jam in unum conjunctae castra posuerant, fieri non potuit, quin *μετὰ ψήφου καὶ κρίσεως τάκει* componerentur. Totius hujus longae orationis Aeschineae summum pretium in eo situm est, quod rebus Delphicis lucem affert, quam aliter non habemus.

Quibus praeclaris verbis, quae coram Philippo habuerit, relatis, operae pretium non esse putat, de criminibus ipsis,

quae Demosthenes de aliis ibi factis et dictis exprobravit ei, mentionem facere. Persuasit sibi nimirum orator doctissimus et illustrissimus, quum, quantopere pro urbis salute omnes vires contenderit, retulerit, de moribus suis dubitari non posse et ipsa crimina refutari.

Nunc pauca verba quomodo Demosthenes illa tempora Pellae acta describat, dicamus. Sophistice agit quum Philippum *ἐν εἰρήνῃ καὶ σπονδαῖς* Thraciae loca occupasse 156 dicit: pax tunc demum rata ac firma fuit, quum etiam Philippus jusjurandum praestitisset. Aequo modo legatis non recte exprobrat, quod *οὔθ' ὅτ' ἐκεῖσε ἐπορεύοντο οὔθ' ὅτ' ἐκεῖθεν δεῦρο τοὺς ὅρκους ἔλαβον:* attamen si ad Philippi socios abiissent et jura juranda eorum accepissent, priusquam Philippus ex Thracia rediisset, summo urbi emolumento futurum fuisse: nam illo temporis momento pacis verba nondum mutata fuisse. Sed haud dubie jus et mos fuit, ut primum Philippus ipse, tum socii ejus in pacem jurarent: aequo enim modo primum Athenienses tum socii jurajuranda praestiterant: itaque legati Atheniensium, priusquam Philippus jurasset, ne animum quidem intendere potuerunt, ut sociorum jurajuranda acciperent, quamobrem id, quod Demosthenes hoc loco iis exprobrat, non recte fit.

Universus ille locus 158 sqq. sophistice[1]) dictus esse nobis videtur. Demosthenes *παρ' οὐδεμιᾶς πόλεως οὔθ' ὅτ' ἐκεῖσε ἐπορεύοντο οὔθ' ὅτ' ἐκεῖθεν δεῦρο τοὺς ὅρκους ἔλαβον* dicit: quod non ita intelligi debet, ut a nulla omnino urbe jusjurandum acceptum esse putet Demosthenes; nam Philippus ipse in litteris sociorum nomina scribit, qui jurajaranda praestitissent, ceteros Athenas se missurum esse. Itaque ipsis ex Demosthenis verbis *ἀλλ' ἐν τῷ πανδοκείῳ τῷ πρὸ τοῦ Διοσκορείου οἱ ὅρκοι ἐγίγνοντο,* illic non solum Philippum, sed etiam socios — non omnes, sed plurimos procul dubio — jurajuranda praestitisse, intelligi videtur. Illo igitur demum tempore pax mutata est: verba *πλὴν Ἁλέων καὶ Φωκέων* in pacem inserta et cetera, quae Demosthenes 174 enumerat, immutata sunt.

Inveniuntur[2]) 36 verba: *ἡ ἐπιστολὴ ἡ παρὰ τοῦ Φιλίππου ἣν οὗτος ἔγραψεν ἀπολειφθεὶς ἡμῶν.* Epistola *ἀπολογίαν τῶν τούτοις* (legatis) *ἡμαρτημένων* continuit: legatos ad urbes proficisci voluisse, ut jurajuranda acciperent: se vero eos retinuisse, ut Halenses et Phocenses in gratiam reconciliarent. 175 sq; *αὐτὸς δ' ἰδίᾳ πάντα τὸν χρόνον ἐντυγχάνων οὐδ' ὁτιοῦν ἐπαύσατο Φιλίππῳ. καὶ τὰ μὲν ἄλλα σιωπῶ· Δερκύλος δ' αὐτὸν* qq. *καὶ τὸ τελευταῖον ὁ βδελυρὸς καὶ ἀναιδὴς οὑτοσὶ νύκτα*

---

1) Cfr. Schaefer l. l. II. 247 not. 4.
2) Cfr. Schaefer l. l. III. Beilage III, 3. pag. 70 sq.

καὶ ἡμέραν ἀπιόντων ἡμῶν ἀπελείφθη παρὰ Φιλίππῳ. Mandatum autem erat legatis, *οὐδαμοῦ μόνους ἐντυγχάνειν Φιλίππῳ* 278. Audiamus quae Aeschines contra hoc crimen dicat: 124 sq. *εἰσπλεῖν μέ φησιν ἐν μονοξύλῳ πλοίῳ κατὰ τὸν Λυδίαν ποταμὸν τῆς νυκτὸς ὡς Φίλιππον καὶ τὴν ἐπιστολὴν τὴν δεῦρο ἐλθοῦσαν Φιλίππῳ γράψαι.*

Discernere non possumus, quid verum sit; nam Aeschines hic verba Demosthenis respicit, quae non inveniuntur: sed ea quae de hac re inveniuntur diligentius examinemus. Quid Demosthenes adversario exprobrat? 36 quidem dicit *ἣν οὗτος ἔγραψεν ἀπολειφθεὶς ἡμῶν;* item 38; sed conferamus cum his verbis 40: *διὸ — ταῦτ' ἔπεισεν ἐκεῖνον ἐγγράψαι* et: *ὁ εἰς τὴν προτέραν ἐπιστολὴν ἐγγράψας* (qui est Philippus) *οὔ φησιν εἰδέναι* sqq: quibus ex verbis perspicimus, Demosthenem Aeschini non exprobrare, quod propria manu singulas litteras epistolae scripserit, sed eum auctorem esse epistolae, quum regi persuaserit, ut ea quae in epistola scripta exstent, Atheniensibus scribat. Itaque quod 36 et 38 dicit: *ἔγραφε*, rhetorice et sophistice dictum est, ut rem premat et urgeat: sed quid voluerit hoc dicens, cetera quae leguntur docent. At Aeschines vehementissime gaudet, quod hoc dixit Demosthenes: occasio ei offertur, quam arripiens de ea re, quae ei crimini data esse videtur, se expurget.

Verisimillimum est, ut supra diximus, et Philippum Pheris demum brevi tempore, priusquam legati Athenas reverterentur, et socios ejus jurajuranda praestitisse; litterae autem, quibus nomina eorum sociorum, a quibus legati jusjurandum acceperant, conscripsit Philippus, postquam pax regis jurejurando confirmata est, haud dubie scriptae sunt: semper enim aliquid evenire potuit per illud tempus, quod in itinere a Pella usque ad Pheras facto consumpsit, quod in epistola ad Athenienses missa respicere debuit; etiam sociorum eorum que legatorum, qui ibi fuerint, nomina conscripsit: quae omnia scribere non potuit multo tempore, prius quam revera facta sunt: Aesch. 2, 129: *τοὺς ὅρκους ἀπέδωκα φησὶν τοῖς ὑμετέροις πρέσβεσι καὶ τῶν συμμάχων τῶν ἑαυτοῦ τοὺς παραγενομένους κατ' ὄνομα γέγραφε καὶ αὐτοὺς καὶ τὰς πόλεις αὐτῶν, τοὺς δ' ὑστερήσαντας τῶν συμμάχων ἀποστελεῖν φησι πρὸς ὑμᾶς.*

Quae quum ita sint, verba quae Aeschines affert *εἰς πλεῖν μέ φησιν ἐν μονοξύλῳ πλοίῳ κατὰ τὸν Λυδίαν ποταμὸν τῆς νυκτὸς ὡς Φίλιππον καὶ τὴν ἐπιστολὴν τὴν δεῦρο ἐλθοῦσαν Φιλίππῳ γράψαι* 124 inepte dicta esse videntur; nam ad Pheras Lydias non est; itaque nobis quidem persuadere non possumus, Demosthenem haec dixisse, nam inepte et insane eum locutum esse, non credideris. Itaque Demosthenem aut alio loco haec verba adhibuisse, putandum nobis est — fortasse dixerit Aeschinem, quum Philippus iter jam Pheras fecerit, eum secu-

tum esse noctu, quum Lydiam devectus sit, quod Aeschines, ut saepissime facit, perverse interpretatus sit — aut audacissime et impudentissime verba Demosthenem dixisse judicibus persuadere studet, quae hic omnino non adhibuit. Demosthenes noctu Aeschinem cum Philippo convenisse dicit, alio loco Aeschinem, quae scribat, regi suasisse et dixisse: quod utrumque Aeschines in unum colligit et Demosthenem sibi exprobrasse dicit, quod noctu cum Philippo congressus epistolam composuerit. Quod ut affirmet et ita revera Demosthenem contendisse judicibus persuadeat, addit: *εἰς πλεῖν με κατὰ τὸν Λυδίαν ποταμὸν ἐν μονοξύλῳ πλοίῳ.* Quibus dictis Aeschinem multis audientium ita revera Demosthenem dixisse, sed verba se effugisse, persuasisse, non improbabile esse nobis videtur: sed nemini hanc opinionem persuadere studemus.

Sed de aliis quoque hujus legationis rebus Aeschines et Demosthenes dissentiunt. Demosthenes: *ἀπιόντων ἡμῶν νύκτα καὶ ἡμέραν ἀπελείφθη παρὰ Φιλίππῳ·* et: *Δερκύλος αὐτὸν ἐν Φεραῖς τὴν νύκτ' ἐφύλαττεν τὸν παῖδ' ἔχων τὸν ἐμὸν τουτονί καὶ λαβὼν ἐξιόντ' ἐκ τῆς Φιλίππου σκηνῆς* — Utrumque crimen Aeschines refutat, 126 (*ἥκουσι μὲν μαρτυρήσοντες μεθ' ὧν συνεσίτουν Ἀγλαοκρέων ὁ Τενέδιος καὶ Ἰατροκλῆς ὁ Πασιφῶντος*) — *οἳ συνίσασιν ἐμοὶ μηδεμίαν πώποτε ἀπ' αὐτῶν νύκτα ἀπογενομένῳ μηδὲ μέρος νυκτός.* Probatne hoc id quod Aeschines vult? Defensionis summa in eo sita est, ut se neque noctem neque partem noctis ab iis abfuisse demonstret, quibuscum eodem hospitio usus sit. Sed Demosthenis accusatio id maxime urget, eum privatim et clam ceteris legatis Philippum convenisse; hoc noctu factum esse dicit quidem, sed hoc rei caput non est. Quum Aeschines se nullam noctem absque sociis dormiisse dicat, statuendum est nobis fortasse, illud quod Demosthenes ei exprobrat vespere factum esse, quod ut rem augeat et crimen, noctu factum esse dicit.

At id quod Demosthenes addit: noctem et diem Aeschinem apud regem remansisse, quomodo se habet? Idem hoc quoque Aeschines iisdem verbis quibus crimen prius refutavit repellit: *οἳ συνίσασιν.* sqq. Pagasis legati navem ascendisse videntur, quae eos Oreum aut alium in locum portaret: in navi societas habitandi et dormiendi esse non potuit: etiamsi jam Orei e navi egressi sunt, unam saltem noctem in itinere consumpserunt; Demosthenes, Aeschinem diem et noctem apud Philippum remansisse dicens, hoc vult: eum a legatis, qui profecti erant, noctem et diem abfuisse, sed cur eas 24 horas, ut nos dicimus, fuisse putemus, causa non est: si legati ceteri uno die profecti sunt et altero Aeschines cum iis congressus est, hoc est: diem et noctem apud Philippum remansisse. Itaque suspicari licet, quum legati navem, in qua iter facturi erant, certo die soluturam esse, sciverint, eos

die antecedenti, Pheris abiisse et noctem, quae diei navigationis antecessit, jam in navi consumpsisse, Aeschinem autem sequenti die mane, priusquam navis solveret, Pagasis advenisse et cum ceteris legatis congressum esse. Memoria autem tenendum est, quam caute et verbis incertis testimonia sine dubio scripta sint, et pauca verba inserta: donec in Macedonia fuerint legati, aut: donec una iter fecerint, religionem testibus eximere potuisse.

In tempus secundae legationis incidunt verba Demosthenis 51: *ἡνίκα δεῦρ' ἀποπλεῖν ἐβουλόμην κατεκώλυεν* — et 323: *οὐχὶ δυνηθεὶς προαπελθεῖν ἀλλὰ καὶ μισθωσάμενος πλοῖον κατακωλυθεὶς ἐκπλεῦσαι.* Jam Pellae hoc fuisse verisimile est.

Aliud crimen, quod non quidem ad causam ipsam pertinet, sed tamen ad secundae legationis tempus, affert Demosthenes 196 sqq; ad quod respicit Aeschines 153. Demosthenes ceteros legatos non se invitatos fuisse ad Xenophronem narrat; introductam esse mulierem quamdam Olynthiam pulchram et ingenuam. Quae quum Aeschinis voluntati, ut assideret et caneret, obsequi noluisset, Aeschinem eam verberasse: quae omnia Jatroclem Demostheni retulisse. Aeschines 4: *ἤσθην ὅτ' αὐτὸν ἐπὶ τῆς αἰτίας ὄντα ταύτης ἐξεβάλετε.* 154: *ἐφ' ᾧ μεταξὺ μὲν λέγων ὑφ' ὑμῶν ἐξερρίφη.* Quaestio est num Aeschines Demosthenis crimen revera refellat: refutaturus est Demostheni ipsi crimen ingerens: nam illum Aristophanem quemdam Olynthium corrumpere voluisse contendit, ut contra Aeschinem falsum testimonium diceret: se ei 1000 drachmas daturum esse, promisisse Demosthenem, si illam mulierem, quam Aeschines foede tractavisset, suam uxorem fuisse, dicturus esset.

Demosthenes id testimonium quod 198 affert Diophanti, quo in Arcadia *ἐν τοῖς Μυρίοις* sermones fuisse de hac Aeschinis insolentia affirmabatur, in jure deposuerat; quod ut repelleret et refutaret, Aristophanis testimonium Aeschines 155 protulit. Nam lis quum in jure (*ἐν τῇ ἀνακρίσει*) instrueretur, omnia documenta testimonia decreta alia, quae pro sua uterque causa in judicio prolaturus fuit, litteris consignanda et deponenda fuerunt; postquam *ἡ ἀνάκρισις* finita est, alia argumenta afferri non potuerunt [1]). Itaque Aristophanis quoque testimonium Demostheni notum fuit: gravissimam vero suspicionem movet, quod de hoc nullum omnino verbum facit. Si Aristophanis testimonium falsum fuit, Demosthenes id dicere premereque debuisse videtur nobis; nonne hoc dixisse eum expectandum est: Athenienses, hoc quod vobis narro revera ita factum est; Aeschines vero falsum testem producet, quem ego *ψευδο μαρτυριῶν* statim hac lite dijudicata accusabo?

---

1) Cfr. Meier und Schoemann l. l. 659 sq.

Itaque nobis quidem persuadere non possumus Aristophanis testimonium, ea verba quae in jure scripta deposuit et in judicio sua agnovit et affirmavit, falsas res continuisse.

Sed diligentius hanc rem videamus. Credere non possumus, ea quae Aeschines Demostheni objicit, Aristophanem corrumpere voluisse eum, recte se habere; nam Demosthenem testimonium tam ineptum et insanum sibi comparare voluisse, non verisimile est: facillima enim res fuit, id refutare; si Aristophanes id dixisset, quod Aeschines Demosthenem voluisse fingit, multos certe testes habere potuisset Aeschines, quibus non Aristophanis uxorem illam mulierem fuisse doceret; quin illo tempore, Olyntho nonnullis annis ante capta, multi Olynthii Athenis fuerint, dubitari non potest. Sin vero recte se habuit illud Aristophanis testimonium et iis quidem verbis compositum, quae Aeschines profert, Demosthenes intellexit haud dubie, sua ipsius verba hoc Aristophanis testimonio refutata esse: quo intellecto quin totam hanc rem omissurus fuerit, non dubitamus.

Itaque hoc unum restat, ut verba testimonii non ea fuisse, quae Aeschines ad illud quasi interpretandum memoret, putemus. Hoc statuendum est, verba talia fuisse, quae nihil suspiciosi et criminosi in Demosthenem congesserint, ita ut Demostheni causa non fuerit, cur de iis loquatur. Quod quidem, si Aeschinis verba respicias, putari omnino non posse videtur; sed jam, quid de hac re existimemus, dicamus.

Demosthenes quomodo Aeschines mulierem Olynthiam tractaverit, describit 196 sqq.: eo jubente *οἰκέτης καίνει κατὰ τοῦ νώτου πολλάς* scl. *πληγάς*. Aeschines adversarium sibi *ὕβριν καὶ παροινίαν εἰς γυναῖκα ἐλευθέραν καὶ τὸ γένος Ὀλυνθίαν* objecisse dicit 4 et 154: Demosthenem hortatum esse Aristophanem, ut *ὡς, εἰς οἰκείαν αὐτοῦ γυναῖκα καὶ αἰχμάλωτον γεγενημένην πεπαρῴνηκα* diceret. *Παροινίας* (cfr. Xen. conviv. VI, 2: *τὸ τοίνυν παρ' οἶνον λυπεῖν τοὺς συνόντας τοῦτ' ἐγὼ κρίνω παροινίαν*) voce utitur Aeschines ad interpretandam et explicandam *ὕβριν*, qua voce quoque 157 (*ὡς — οὐ κατάσχοιμι τὴν ὕβριν*) utitur.

Aeschines 154: *συσταθεὶς τούτῳ ὑπό τινων καὶ πυθόμενος ὡς εἰπεῖν δύναται ὑπερεκθεραπεύσας αὐτὸν καὶ προς αγαγόμενος ἔπειθεν ἐμοῦ τὰ ψευδῆ καταμαρτυρεῖν πρὸς ὑμᾶς, κἂν παρελθὼν ἐθελήσῃ σχετλιάσαι καὶ λέγειν* sqq. Offendit vox *πυθόμενος ὡς εἰπεῖν δύναται:* nam si Aristophani testimonium fuit dicendum, nihil interfuit, bonum oratorem eum esse: testimonium ab eo, cui id dixit, compositum est et testi silentio aut paucissimis verbis cum his testimonii verbis se consentire, dicendum fuit. Etiam verba *κἂν παρελθὼν ἐθελήσῃ σχετλιάσαι καὶ λέγειν* sqq. non apta sunt: *σχετλιάσαι* est queri lamentari, sed hoc in testimonio non fit.

Quamobrem Aeschinem veras res, quae factae erant, quaeque per testimonium ipsum affirmabantur, sophistice a vero sensu deflectere putamus. Demosthenem hortatum esse Aristophanem putamus, ut Aeschini actionem *ὕβρεως* intenderet, eique in angustiis versanti, si actionem instituisset, pecuniam promisisse. *Γραφὴν ὕβρεως*[1]) *(διά πληγῶν)* unicuique civi Atheniensi, ut omnes *γραφὰς*, instituere, licuit[2]); *ὕβρις* (Aristot. Rhetor. II, 24. 9) fuit *τύπτειν τοὺς ἐλευθέρους — ὅταν ἄρχῃ χειρῶν ἀδίκων*: itaque Demosthenes mulierem *ἐλευθέραν* fuisse premit.

At quaeritur, num ipsi Aristophani litem instituere licuerit. Peregrinis, qui Athenis versabantur, jus fuit, ut patrono auxiliante non solum *δίκας*, sed etiam *γραφὰς* intenderent, sed *γραφὰς* si ipsi violati et laesi fuerant[3]). Sequitur, Aristophani jus non fuisse de hac re litis instituendae: nam muliere Olynthia violata ipsi damnum illatum non erat. At Suidas s. v. *Κάρανος* Athenienses Olynthiis civitatem donasse narrat (*'Αθηναῖοι δὲ τοὺς περισωθέντας πολίτας ἐποιήσαντο*): qua de causa Aristophani pleno jure lis instituenda fuit[4]).

Olynthus anni 347 initio capta est, Aeschines id, quod Demosthenes ei crimini dat, aestate anni 346 patraverat; verisimile est Demosthenem aliquo tempore post reditum ex Macedonia factum Aristophanem hortatum esse, ut causam institueret. Illud tempus aptissimum fuit ad ejusmodi causam suscipiendam: Athenienses tarditatis et inertiae, qua Olynthios in exitium duxerant, memoriam summis honoribus et beneficiis exstinguere studuerunt[5]): Olynthiis civitas dabatur, contra urbis proditores *ψηφίσμαια* scribebantur (Dem. de f. l. 267 sq.); civis aliquis Atheniensis, qui puellam Olynthiam scorti loco habuit, morte puniebatur (Dinarch. 1. 23: *'Εὐθύμαχον θανάτῳ ἐζημιώσατε διότι τὴν 'Ολυνθίαν παιδίσκην ἔστησεν ἐπ' οἰκήματος*); multa alia fiebant[6]), quibus Olynthiorum dolor et luctus mitigaretur.

Haec res, de qua Aeschines et Demosthenes loquuntur, eadem aut similis esse videtur, atque de qua Dinarchus dicit. Civis ille Atheniensis Euthymachus puellam Olynthiam, quam concubinae loco habuit, emerat haud dubie; Athenienses quum eum morte punirent, puellae illius libertatem captivitate emptioneque abrogatam non esse declaraverunt: cur enim non Euthymachus mulierem peregrinam, quam emerat, amiculam haberet? Sequitur, eodem jure Aristophani, cui Suida auctore

1) Cfr. Meier und Schoemann l. l. 319 sqq.
2) Cfr. Schoemann griech. Alterth. I, 495 not. 1.
3) Cfr. Meier und Schoemann l. l. 56.
4) Cfr. Schaefer l. l. II, 145 not. 1.
5) Cfr. Schaefer l. l. II, 145.
6) Cfr. Boehnecke l. l. 432.

ab Atheniensibus civitas data erat, contra Aeschinem de illa muliere Olynthia γραφὴν ὕβρεως instituere licuisse. Illa Aeschines verba ὡς εἰπεῖν δύναται — σχετλιάσαι affirmare videntur, hoc loco de lite instituenda, non de testimonio dicendo cogitandum esse.

At quomodo Aeschines testimonium, quod de hac re egit, ita mutare et a veritate deflectere potuit? Sane quidem multum offensionis habere videtur, quod Aeschines testimonii verba, quae haec fere fuerint: Aristophanes de muliere Olynthia testificatur Aeschini, Demosthenem 1000 drachmas promittentem movere se voluisse, ut Aeschinem ὕβρεως in mulierem Olynthiam illatae argueret (ἐγκαλεῖν): — quod, dico, Aeschines haec fere verba in illa, quae ipse affert, mutaverit. Sed saepissime quidem jam vidimus, quantus sophistes et quam mirabilis verborum interpres sit: itaque non incredibile esse videtur, Aeschinem verba ὡς εἰς τὴν οἰκείαν αὐτοῦ γυναῖκα ex sua sententia inseruisse et vocem ἐγκαλεῖν, quae fortasse in testimonio fuerit, quaeque et de testificando et de lite instituenda intelligi potuerit, in vocem κατα μαρτυρεῖν deflexisse.

At si hoc tibi nimis sophistice actum esse videatur, restat, ut Aeschinem orationem edentem haec verba εἰς τὴν αὐτοῦ γυναῖκα et alia inseruisse putemus: nam Aeschinem orationem, habitam jam, edidisse, per se ipsum intelligitur; multa mutasse eum, verisimile est. Sed nobis quidem illud, quod in medium protulimus mirum in modum soiphstice eum egisse, non improbabile esse videtur.

Quae si recte se habere statuamus, quaestio exoritur, cur Demosthenes ad hoc testimonium, quod in jure depositum notum ei fuit, omnino non respiciat: sed Demosthenes haud dubie putavit, Aeschinem testimonium prolaturum esse, ut se criminaretur; habuit profecto suspiciosi et calumniosi multum, quod hominem ignotum fere pecunia sibi comparare studuerat, ut causam in Aeschinem institueret. Sed quum id quod Aeschines affirmaturus fuit, negare non posset, mentionem ejus omnius non facit: crimen non fuit quod Aristophani, homini pauperrimo, pecunian se daturum esse promiserat.

Postquam legati a secunda legatione reversi sunt, primum senatui rationes legationis reddiderunt; Demosthenes inde a primis promissionibus, quas Otesiphon et Aristodemus fecerant, totam rem enarravit et addidit, ne ea quae restarent, Phocenses et Pylas, projicerent Athenienses, neve in extremum rem discrimen adduci paterentur. Senatui quidem id persuasit: nam προβούλευμα factum est, ex quo neque laudati neque in prytaneum vocandi fuerunt legati, sed quum concio convenisset, Aeschines copiosissime de orationibus, quas aqud Philippum habuerat, renuntiavit et summas opes Atheniensibus movit: Thebas absque reliqua Boeotia obsessum

iri, Thespias et Plataeas restitutum, deo pecunias non a Phocensibus, sed a Thebanis exactum iri; etiam de Euboea Atheniensibus restituenda incertas spes movit Aeschines.

Talibus verbis omnes Athenienses in suam sententiam, ut Philippo crederent et omnes res ex sua voluntate instituendas traderent, abripuit. Demosthenis verba, qui his Aeschinis pollicitationibus restitit, non audiebantur. Recitavit Aeschines Philippi litteras, qui omnem legatorum culpam in se excepit.

Occurrunt nonnulla verba Demosthenis, quae inter se dissentire videntur: Demosthenes nihil Aeschinem de legatione pro concione renuntiasse dicit 19: *τοῦ μὲν ἀπαγγέλλειν τι τῶν πεπρεσβευμένων — μνησθῆναι πάμπληθες ἀπέσχεν;* sed hoc non recte se habet: Aeschines copiosissime de orationibus suis apud Philippum habitis refert, ut etiam ex aliis locis, de quibus postea dicemus, percipitur: caput quidem relationis pollicitationes fuerunt, quas Atheniensibus movit.

Tum Demosthenes de Philippi epistola dicit 39 *τοὺς αἰχμαλώτους — οὐδ' ἂν ἐνθυμηθῆναί φησι λύσασθαι* [1]) Demosthenes nobis persuadere vult, Philippum ipsis his verbis usum esse: sed videamus, num ita res se habuerit. Universa de epistola dicit Demosthenes *ὡς καλὴ καὶ φιλάνθρωπος ἦν;* quam male haec verba, absolvere captivos ne in mentem quidem sibi venisse, cum his verbis congruunt! Sed cave, ne omnia quae Demosthenes refert verba revera ita facta esse putes. Boehnecke quidem, vir doctissimus [2]) etiam hanc epistolam ex his verbis restituere studet, sed timemus, ne temere id faciat: scripsisse videtur Philippus, se ignorare, quo pacto Atheniensibus gratificaretur; si vero dixissent, se facturum esse, quod sibi nec pudorem neque ignominiam afferet: haec verba recte se habent; certas promissiones non facit, sed omnia se Atheniensibus gratificaturum esse dicens, quae ignominiam non afferant, receptum sibi relinquit, in quem confugiat, si revera Athenienses postulaverint. Haec omnia pulchra sunt et humana, ut Demosthenes dicit; sed si Philippus epistolam finiebat: captivos remittere ne in mentem quidem mihi venit: hoc quoque *καλὸν καὶ φιλάνθρωπον* est? Circumscriptio est verborum, quae Demosthenes 40 attulit: *οὔ φησιν εἰδέναι τί ἂν ποιῶν χαρίσαιτ' οὐδ' ὃ αὐτὸς ὑπέσχετο:* nam, se ignorare, quid Atheniensibus gratificetur, dicens, etiam illud, quod Demostheni promisit se facturum esse, negare videtur Philippus: promisit autem, se captivos ad Panathenaea absoluturum et remissurum esse, 168: *ὡμολόγησε μὲν δή, διεκρούσατο δεὶς τὰ Παναθήναια φήσας ἀποπέμψειν.* Itaque

---

1) Cfr. Schaefer l. l. II, 243 sqq. 249 sqq.
2) Cfr. l. l. 405.

sophistice hoc loco dicit Demosthenes, Philippum captivos se remissurum esse negasse: *οὔ φησιν εἰδέναι τί ἂν ποιῶν χαρίσαιτ' οὐδ' ὃ ἀυτὸς ὑπέσχετο* haecverba *οὐδ' ὃ αὐτὸς ὑπέσχετο* Demosthenes ex illis Philippi verbis concludens, ex sua sententia addit. Captivorum mentionem procul dubio non facit Philippus in epistola; nam quum Demostheni promisisset, se eos remissurum esse mentione opus non fuit; sed hic judicibus persuadere vult, Philippum hoc inscripsisse ab Aeschine commotum, ut Demostheni laudem eriperet: nam Demostheni mandatum fuit, ut de redimendis captivis cum rege ageret; qui hujus rei ne mentionem quidem faciens, Demostheni laudem eripere videtur.

Philippum revera captivos non remisisse, ex his Demosthenis verbis non sequitur; nam Demosthenes hoc loco solo de illo tempore et de Philippi epistola dicit; quod Philippus postea revera captivos absolverat — id quod ex Aeschinis verbis percipi videtur — judicibus causa esse non potuit, cur id, quod Demosthenes regi et Aeschini exprobrat, revera ita esse, non putarent: nam aliis causis posteriore tempore fieri potuerat, ut rex captivos remitteret.

Nunc ad eas res transeamus, de quibus Demosthenes et Aeschines dissentiunt inter se. De concione ipsa [1]) Aeschines 118 sqq. Demosthenes 17 sqq. 121 sqq. 322 sqq. Aeschines se Atheniensibus spem movisse, fore ut Thebanorum potentia frangeretur, Euboea Atheniensibus restitueretur, negat. Hoc solum se dixisse: justum esse id fieri. Sed solis his verbis Athenienses tantum in modum motos et incitatos fuisse, ut omnia quae vellet Philippo crederent et regi potestatem darent faciendi et non faciendi quid vellet, putari omnino non potest. Verba non tam certa fuerint fortasse, qualia Demosthenes refert: sed similia fuisse debent. Sed etiam hic sophisticen Aeschinis cognoscere licet: de Euboea ipse Demosthenes dicit, Aeschinem non certis verbis ita fore promisisse, sed Euboeenses id fore putare: Aeschines autem *ἐπηγγέλθη τὴν Εὔβοιαν παραδώσειν* dicit: quae verba illis Demosthenis et ipsius Aeschinis *εἶπε-ὡς-τοὺς Εὐβοιᾶς ἐφόβουν προάγων εἰς ἐλπίδας τινὰς ὑμᾶς* ad justum modum et rationem revocanda sunt.

Aeschines 121: *διέβαλλε ὡς ἀπαγγέλλειν τἀληθῆ βουλόμενος ὑπ' ἐμοῦ καὶ Φιλοκράτους κωλυθείη.* Sed quaeramus num revera id dicat Demosthenes. Dicit nempe, se tentasse verbis Aeschinis et pollicitationibus contradicere: *καὶ παραστὰς ὁ μὲν ἔνθεν ὁ δ' ἔνθεν οὑτοσί καὶ Φιλοκράτης ἐβόων ἐξέκρουόν με τελευθῶντες ἐχλεύαζον.* Accuratius de hac re 45 dicit: *ἀναστὰς καὶ προελθὼν ἐπειρώμην μὲν ἀντιλέγειν, ὡς δ' ἀκούειν οὐκ ἠθέλετε ἡσυχίαν ἔσχον, τοσοῦτο μόνον διαμαρτυράμενος* sqq. — *μὴ νῦν ὑπολαβὼν ἔφη Αἰσχίνης οὑτοσί* sqq.

---

1) Cfr. Schaefer l. l. II, 252 sqq.

Quibus ex verbis perspicimus, Demosthenem concionatum esse, nam testabatur, se earum rerum, quas Aeschines retulerit, nec gnarum nec socium fuisse et addidit, se ne expectare quidem; sed quum videret, populum se non audire, sed Aeschinis pollicitationibus excitatum inquietum et turbulentum esse, recessit: *ὡς δ' ἀκούειν οὐκ ἠθέλετε ἡσυχίαν ἔσχον.* Verbis 23 *παραστὰς ὁ μὲν ἔνθεν* sqq. verba 46 *μὴ νῦν ὑπολαβών* sqq. de rebus quomodo factae sint certius aliquid et rectius afferunt. Itaque quod Aeschines vocem *κωλυθείη* 121 adhibet, sophistice fit: non solo a Philocrate et Aeschine impeditus est Demosthenes, quominus diceret, neque hoc dicit Demosthenes, sed populus ipse eum impedivit aut movit saltem, ut a loquendo desisteret.

Sed jam vide, quomodo Aeschines hoc fieri non potuisse probet 121: *ἐγὼ δ' ὑμᾶς ἡδέως ἂν ἐροίμην εἴ τις πώποτε Ἀθηναίων πρεσβευτὴς ἐκπεμφθεὶς ἐφ' οἷς πεπρέσβευκε κεκώλυται πρὸς τὸν δῆμον ἀπαγγέλλειν καὶ ταῦτα παθὼν καὶ ἀτιμασθεὶς ὑπὸ τῶν συμπρέσβεων τούτους ἔγραψεν ἐπαινέσαι καὶ καλέσαι ἐπὶ δεῖπνον*[1]). Scripsitne profecto Demosthenes psephisma, quo ut legati laudarentur et coronarentur suasit? Huic rei adversantur certa Demosthenis verba qui 31 sqq. se auctore, senatum legatis neque laudationem neque in prytaneum invitationem concessisse dicit et ut hoc affirmet, ipsum senatus consultum recitat; sin autem ita fuisset res, ut Aeschines nobis persuadere studet, senatus consultum afferre debuit et demonstrare, Demosthenem non recte dixisse et senatus consultum id continere, quod ipse diceret.

Sed hoc ne dicere quidem vult Aeschines: examinemus diligentius verba ejus: dicit: *Δημοσθένης — οὐκ ἐν τῷ ψηφίσματι μόνον ἡμᾶς ἐπῄνει ἀλλ' ἀπαγγείλαντος πρὸς τὸν δῆμον ἐμοῦ — παρακληθείς ὑπ' ἐμοῦ μετὰ τῶν ἄλλων συμπρέσβεων καὶ διερωτώμενος εἰ τἀληθῆ καὶ ταὐτὰ ἀπαγγέλλω πρὸς Ἀθηναίους ἅπερ πρὸς Φίλιππον εἶπον πάντων μαρτυρούντων — ἐπαναστὰς ἐπί πᾶσιν οὐκ ἔφη με ὥς περ ἐκεῖ εἶπον οὕτως ἐν τῷ παρόντι λέγειν ἀλλ' ἐκεῖ διπλασίως ἄμεινον καὶ τούτων ὑμεῖς ἐστέ μου μάρτυρες.* Contenditne Aeschines, Demosthenem psephismate legatos laudasse? Minime quidem. Vide quomodo agat: psephisma gravius argumentum futurum fuisse, si revera Demosthenes id scripturus fuisset, facile intelligas; sed duo tantum de eo verbo facit: *οὐκ ἐν τῷ ψηφίσματι μόνον ἡμᾶς ἐπῄνει* et statim *ἀλλ'* ad alterum argumentum quo verba probet transit: qua ex re intelligimus, Aeschinem hoc alterum argumentum totius defensionis caput esse putasse. Aeschinem hoc loco et artis grammaticae et logicae leges neglexisse, concedere debes: nam *ἐν τῷ ψηφίσματι* quisque sanae

1) Cfr. Schaefer l. l. II, 252 not. 5. Boehnecke l. l. 408.

rationis particeps Demosthenem psephisma, quo legatos laudaret, scripsisse interpretabitur; sed hoc dicit mirabilis sophista: psephisma scribere in eoque laudare legatos, id parvi habendum est levissimique ponderis, si compares cum eo, quod revera fecit Demosthenes, nam *οὐκ ἔφη με ὥςπερ ἐκεῖ εἶπον οὕτως ἐν τῷ παρόντι λέγειν ἀλλ' ἐκεῖ διπλασίως ἄμεινον.* Quae interpretatio difficilis quidem est et longius arcessita, sed cave ne nobis crimini des, cujus rei in oratorem nostrum culpa conferenda est; nam alio modo omnino non possumus interpretari verba Aeschinis. Si Demosthenes *τὸ προβούλευμα,* quod affert, quo senatum laudem et invitationem in prytaneum legatis negasse dicit, falsarat et verba dixerat, quae omnino non continebantur psephismate, Aeschines haec refutaret necesse fuit. Non facit: itaque id quod Demosthenes contendit recte se habet. Quae quum ita sint, alia verborum interpretatio *οὐκ ἐν τῷ ψηφίσματι μόνον ἡμᾶς ἐπῄνει* reperiri non potest.

Aeschinem hoc loco summa cum audacia et impudentia agere quis est qui neget? Sed studet animos judicum perturbare: itaque priusquam haec verba ipsa dicat, locum illum communem 121: *ἐγὼ δ' ὑμᾶς ἡδέως ἂν ἐροίμην* sqq. affert. Interrogat, num quis umquam fuerit, qui iis qui talibus ignominiis se affecerint, laudes decreverit? Nemo quidem, respondebis et Aeschines ipse; cave enim, ne putes his verbis Aeschinem revera dicere, Demosthenem decrevisse laudes: solum interrogat *εἴ τις πώποτε — ἔγραψεν ἐπαινέσαι καὶ καλέσαι ἐπὶ δεῖπνον;* Sed quamquam his verbis, Demosthenem hoc decrevisse, non dicit, tamen vult, ut putes se hoc dicere; et nunc pergit: *Δημοσθένης τοίνυν οὐκ ἐν τῷ ψ.* sqq.

At si ita interpretemur, quaestio restat, num id quod Aeschines *πάντων μαρτυρούντων* 122 dicit recte se habeat et verum sit? De hac re dubitari non posse nobis videtur: Aeschines copiosissime de orationibus suis, quas aqud Philippum habuerit, *ὡς ἐδυνάμην κατὰ ῥῆμα ἀκριβέστατα* (id quod crederemus Aeschini etiamsi non diceret) pro concione refert: legatos ceteros testes citat, num ita dixerit coram rege; affirmant et Demosthenes addit, Aeschinem coram Philippo multo melius etiam et praeclarius locutum esse. Vera haec fuit sententia Demosthenis? Memineris, quam saepe Demosthenes de praeclaris et longis Aeschinis orationibus mentionem faciat et ironice quidem; sunt *οἱ καλοὶ ἐκεῖνοι καὶ μακρολόγοι* de quibus 11 303 aliis locis dicit. Etiam hoc loco adversarium in risum versurum esse Demosthenem: id procul dubio nobis esse videtur. Illo tempore inter Demosthenem et Aeschinem summa jam inimicitia fuit: Demosthenes rogationem tulerat in senatu, ne legati laudarentur; nunc ipsum Aeschines de orationibus suis renuntiavit et, ut Atheniensibus spem

afferret, multa verba fecit quibus quid vellet et sequeretur, Demosthenes ignorare non potuit; hoc tempore, quum facere non posset, quin ipsi adversario testimonium daret, iracundia et inimicitia incitatum Demosthenem haec verba et alia fortasse, ut Aeschinem in risum vocaret, testimonio adjecisse, nobis quidem persuasissimum est. Quin Athenienses ipsi hanc ironiam illo die intellexerint, quis est qui dubitet, praesertim quum inimicitia, quae inter Aeschinem et Demosthenem fuit, omnibus jam manifesta et praecipua esset?

Illo autem die, quo tribus annis praeteritis, litem orabat, quum omnes illius temporis res notae quidem et in universum judicibus in memoria erant, Aeschines illa verba, quae dicta esse multi certe meminerint, hoc modo a veritate deflectere conatur, ut audientium animos, quum psephisma, quo post primam legationem Demosthenes laudes decreverat legatis, in tempus secundae legationis inferat, conturbet et confundat. Non dubitamus quin multi revera in perturbationem adducti sint, ut revera dubitaverint, utrum primae Demosthenes an secundae legationis participibus laudes decreverit, praesertim quum illa Demosthenis verba, quibus Aeschinem laudare videtur, in animis retinuerint. Et videas, quomodo tum 123, postquam audientium animos hoc modo perturbavit, primam et secundam legationem confundere pergat.

Nunc ipsam illius diei concionem breviter describamus: Demosthene auctore senatus *προβούλευμα* scripsit, quo rogavit, ne legatis laudes legitimae contribuerentur; num de Phocensibus certam jam senatus rogationem scripserint nescimus; sed priusquam senatus consultum recitaretur, Aeschines pro concione surrexit et oratione summis pollicitationibus referta Philippique epistola recitata tantum in modum populi animos movit et illexit, ut omnia crederent. Demosthenes his verbis refragatus est, sed perpauca tantum verba facere potuit: audientes inquieti erant et turbulenti, Aeschines repugnabat, Philocrates de Demosthene scurriliter jocabatur: Athenienses ridebant. Tum Philocrates psephisma scripsit, ut pax in posteros extenderetur et Philippus ut summus Graeciae amicus laudaretur et Phocenses terram suam regi tradere juberentur.

Quae Aeschines 130 sqq. de Phocensibus exponit cum iis quae Demosthenes narrat non dissentiunt; id studet Aeschines, ut per se ipsos, non quia Athenienses opem non tulerint, deletos esse Phocenses, se igitur exitii auctorem non esse demonstret: res ipsas, quas Demosthenes exponit et quae omnibus Atheniensibus notae fuerunt, non negat; quamobrem causa non est, cur de his verba faciamus.

Callidissime Aeschines ad excusandum errorem suum universam Atheniensium persuasionem afferre nobis videtur;

nam profecto Athenienses creduli in laqueum, quem Philippus iis posuerat, inciderant et quum hoc loco Aeschines dicit: quomodo de ea re vituperare me potestis, quam ipsi fore vobis persuasissimum habebatis! verba facere videtur, quae summa fide digna sint; sed ne obliviscaris, ipsum Aeschinem fuisse, qui hanc persuasionem Atheniensibus attulerit. Demosthenis ex verbis 35: *ὥσθ' ὑμᾶς ἐκπεπληγμένους τῇ παρουσίᾳ τὸ πρῶτον τῇ τοῦ Φιλίππου καὶ τούτοις ὀργιζομένους ἐπὶ τῷ μὴ προηγγελκέναι πραοτέρους γενέσθαι τινός,* ab initio Athenienses non idem sensisse intelligimus.

Dissentiunt Demosthenes et Aeschines, quum ille 51 epistolis, quibus Philippus Athenienses invitabat, ut copias educerent et opem iis, qui justum bellum gererent, ferrent, Aeschinem refragatum et Atheniensibus, ut domi remanerent persuasisse, hic idem Demostheni exprobrat 137 sqq. Diligentius verba ipsa examinemus; Demosthenes Philippum duas epistolas misisse dicit, quae Athenienses invitarent, ut confestim exirent; concludit Demosthenes, si sincerum id fuisset et verum, Aeschinem pro hoc Philippi optato dicturum fuisse: sed verum Philippi consilium id non fuisse, sed solum hoc spectasse eum, ut Athenienses putarent, se id, quod illi vellent facturum esse. Se ipsum huic invitationi regis refragatum esse, nullo loco dicit Demosthenes.

Mirari potes, quod duas epistolas miserit Philippus; nam redierunt legati 13 die mensis Skirophorionis et concio habita est 16 die ejusdem mensis: legati Pheris regem reliquerunt et epistolas idem tempus in itinerere consumpsisse putandum est atque legatos; itaque non verisimile est, epistolam, priusquam legati Athenas reversi essent, venisse; at si Philippo fuisset, cur hanc epistolam scriberet, jam quum legati proficiscerentur, iis ipsis eam daturum, non postea missurum eum fuisse, per se intelligitur; nam ex verbis et Demosthenis et Aeschinis postea missas esse epistolas intelligimus: Dem. 51: *καίτοι καὶ ἐπιστολὰς ἔπεμψεν ὁ Φίλιππος* et Aesch. 137: *ὑμῖν δὲ ταῦθ' ὁρῶν ἔπεμψεν ἐπιςτολὴν ὁ Φίλιππος ἐξιέναι.* — Itaque primam epistolam post legatorum adventum, sed ante illam concionem missam esse putaveris: secundam epistolam post concionem: nam Aeschines de una tantum epistola dicit.

Sed nunc quaeramus, quo consilio rex epistolam aut epistolas miserit. Demosthenes contendit, id voluisse regem, ut Atheniensibus fidem et persuasionem excitaret, se omnia quae vellent facturum esse. Sed videamus, quomodo illo temporis momento res fuerint: Philippus operam dederat, ut omnium populorum legatos, qui apud eum erant, falleret et deciperet: Thebanis et Thessalis pollicitus erat, Phocenses se puniturum et deleturum esse; Atheniensibus promiserat, Phocensibus contra Thebanos opem se laturum hosque

fracturum esse; inter Thebanos et Phocenses, inter Thebanos et Athenienses, inter Thessalos et Phocenses, immo inter Phocenses et Athenienses dissidia fuerunt et inimicitiae: summa *ἀπιστία* invidia odium omnium gentium commune fuit: omnes autem Philippi pollicitationibus non prorsus credebant. Haec *ἀπιστία* crescebat in dies quum Philippus Pylis appropinquabat: Thessali pro Philippo steterunt [1]), sed Phocenses omnibus viribus bellum continuaturi esse videbantur; Thebani omnes copias educebant, quum rebus fidem non haberent. Quae quum ita essent, summus Philippo exortus est timor, ne gentes, quid vellet cognoscentes, societatem inter se conjungerent, neve aeque atque nonnullis annis ante prohiberetur, quominus per Pylas in Graeciam introduceret exercitum: maxime Thebani timorem ei injecisse videntur. Causa non est, cur de Aeschinis verbis quae 136 sqq. affert dubitemus: addit autem Aeschines, postquam illud tempus et quid singulae gentes voluerint et cogitaverint, exposuit: *ταῦθ' ὁρῶν ὑμῖν ἔπεμψεν ἐπιςτολὴν ὁ Φίλιππος ἐξιέναι πάσῃ τῇ δυνάμει βοηθήσοντας τοῖς δικαίοις.* Quod serio et ex animo optasse et postulasse rex nobis videtur: si Athenienses copias suas eduxissent, quid Thebani facturi fuisse putandi sunt? Ab hac parte Atheniensium exercitum habentes, ab illa Phocenses, qui omnes vires contra Philippum colligere debebant, statim contra Athenienses, quibus, si opem ferre voluissent aut Phocensibus aut Philippo, per Thebanorum terram iter faciendum fuit, copias suas instructuri fuissent: memoria enim tenendum est, quanta quum inter omnes gentes, tum inter Thebanos et Athenienses invidia et *ἀπιστία* fuerit. Hoc modo et Athenienses et Thebani innocui facti essent. Qua ex re videre licet, quantum auxilium Philippo latum foret, si Athenienses copias educturi fuissent; quae summa causa nobis esse videtur, cur Philippum serio et vera ex sententia et optato Athenienses invitavisse putemus ad egrediendum. Quod postulaverit haud dubie Philippus secundum foedus (*συμμαχίαν*), quo Athenienses ad opem sibi ferendam obstricti fuerint.

Ipsa Aeschinis et Demosthenis verba hanc sententiam affirmant: si id solum spectasset Philippus, ut Atheniensibus omnia, quae vellent facturum se esse, persuaderet, non duabus epistolis opus fuisset: sed una epistola et Aeschinis pollicitationibus id jam effectum foret. Philippo Athenienses summopere noti fuerunt, nota fuit inertia eorum, scivit optime, quantis operis opus esset, ut ex otio et tranquillate ad

---

1) Attamen ipsos Thessalos quoque in Philippum difficiles fuisse conjeceris; dicit enim Demosthenes (de f. l.) 320: *ἡνίκ' ἐστασίαζε μὲν αὐτῷ τὰ Θετταλῶν καὶ Φεραῖοι πρῶτον οὐ συνηκολούθουν.*

bellum incitarentur; sed duas epistolas misit 52: *αἱ μὲν τοίνυν ἐπιςτολαὶ καλοῦσιν αὗται καὶ νὴ Δία ἤδη γε.*

At huic sententiae obstat, quod Aeschines Philippi verbis refragatus est: hoc et Demosthenes dicit atque Aeschines negat. Sed jam vide, quomodo se res habeat. Quum legati a rege Athenas reverterentur, Philippus cum Thessalis conjunctus iter contra Phocenses facturus fuit; Athenienses bellum non moturos esse, et litteris suis et Aeschinis promissis et ipsis Atheniensium moribus consuetudineque effectum iri, sibi persuasum habuit; idem etiam de Thebanis crediderat: sed non omnia ita evenerunt, quomodo putaverat; nam Thebani copias eduxerunt (cfr. Aesch. 2, 137: *Θηβαῖοι ἐξεληλύθεσαν πανδημεῖ ἀπιςτοῦντες τοῖς πράγμασιν.* Dem. de pace 20: *Θηβαῖοι τὸν μὲν Φίλιππον παρελθεῖν καὶ λαβεῖν τὰς προςόδους οὐκ ἐδύναντο κωλῦσαι*) idque statim, postquam legati profecti sunt, comperisse videtur Philippus: qua re totum ejus consilium commutatum est; Aeschines, se Athenienses placaturum et a bello retenturum esse, regi promiserat: perspicuum est, eum, quum haec epistola advenerit, nescivisse, quid faciat; sine dubio putavit Aeschines, hoc modo magis etiam Atheniensibus fidem facere voluisse regem: itaque verisimile est, eum dissuasisse et Athenienses retinuisse: quod dicit Demosthenes 52 et Aeschines verba 137 affirmant.

At Demosthenes? quum constare videatur, epistolam priorem, qua Philippus ad educendas copias invitavit, in illis comitiis recitatam esse, quibus Aeschines oratione et pollicitationibus Athenienses decepit, Demosthenem de hac epistola nullum omnino verbum fecisse, verisimile est. Perfectam illo die victoriam de Demosthene reportavit Aeschines: derisus et illusus Demosthenes a bemate recesserat neque aut ipse aut Aeschines illo die iterum Demosthenem verba fecisse memorat. Etiam Philocratis psephisma non impugnabat: quid igitur de hac epistola diceret? Quum Aeschinis verbis fidem habentes, Philocratis psephismate decreto, Athenienses, se Phocensibus opem non laturos esse ostendissent: id quod de hac epistola decreverunt ex illo decreto secutum est: quum igitur Demosthenis opera, qua Aeschinis promissis refragatus erat, perdita et irrita fuisset, causa non fuit, cur huic epistolae se opponeret. Fortasse in ambiguo quoque fuerit, quid de hac epistola suaderet: alii saltem oratores, et amici quidem Demosthenis ipsi quoque, obstitisse videntur, ne Athenienses Philippi invitationi obsequerentur, cfr. Aesch. 2, 137: *οἱ δὲ νῦν πολεμικοὶ καὶ τὴν εἰρήνην ἀνανδρίαν καλοῦντες διεκώλυσαν ὑμᾶς ἐξελθεῖν — δεδιέναι φάσκοντες μὴ τοὺς στρατιώτας ὑμῶν ὁμήρους λάβῃ Φίλιππος.* Rem ita fuisse, ut Aeschines dicit, verisimile est; Aeschines autem ipsis verbis *οἱ δὲ νῦν πολεμικοὶ* sqq. docere

videtur, Demosthenem inter hos non fuisse [1]), nam dubitare non possumus, quin, si Demosthenes ipsis verbis et orationibus, ne Athenienses Philippi verbis obsequerentur, operam dedisset, Aeschines Demosthenem ipsum nominaturus fuisset et vituperaturus. Concludit quidem Aeschines 138 *πότερον οὖν ἐγὼ τοὺς προγόνους ἐκώλυσα τὸν δῆμον μιμεῖσθαι ἢ σὺ καὶ οἱ μετὰ σοῦ συνεστηκότες* sqq.: sed haec causa non est, cur etiam Demosthenem verba fecisse putemus: sophistice facit Aeschines ea, quae Demosthenis amici fecerant, huic ipsi tribuens. Compares cum his verbis 139: quam certis verbis Demosthenem ipsum id, quod vituperat Aeschines, egisse et effecisse dicit!

Quibus expositis sic res se habere videtur: Philippus legatis profectis Thebanos, regis verbis fidem non habentes, copias suas educere compertus erat, qua re summum ei periculum motum est; quod ut depelleret et Thebanorum copias a se absterreret, epistolam misit ad Athenienses, qua, ut statim egrederentur et justis opem ferrent, invitavit; quae epistola advenit, priusquam concio haberetur: pro concione recitabatur. Aeschines, quid vellet rex, nescius id solum studuit, ut ex promisso, quod regi dederat, Athenienses a bello suscipiendo retineret; Demosthenes audientium risu et clamoribus, Philocratis dicteriis repulsus et ipse quid suaderet ambiguus, nihil de hac epistola dixit; amici ejus in hac re ipso cum Aeschine consentiebant. Sophistice autem agere videtur nobis Demosthenes, primum, quod speciem movet, tamquam ipse aut amici saltem invitationi, quam non serio a Philippo factam esse dicit, obsequi voluissent: nam Aeschini amicisque ejus hoc ipsum exprobrat, quod ei refragati sint; tum, quod de duabus epistolis dicit, quae in hac concione recitatae sint — toto enim ex verborum connexu apparet in illa jam concione eas recitatas esse, Demosthenem contendere —: nam posteriorem epistolam post concionem habitam advenisse, verisimillimum esse, jam supra demonstravimus. [2]).

Schaefer [3]) post concionem habitam Philippi epistolam Athenas venisse putat: itaque, priusquam ad tertiam legationem transeamus, videndum nobis est, num haec viri doctissimi sententia Aeschinis et Demosthenis verbis comprobetur. Demosthenes de comitiis, quibus Aeschines populum summis pollicitationibus deceperit, 34 sqq. dicit; 47 sqq. Philocratis psephisma, quo ut Philippus summis laudibus et benignitate tolleretur augereturque, Phocenses vero urbes regi tradere

1) cfr. Schaefer l. l. II, 260. not. 3.
2) cfr. de his Philippi epistolis G. Grote l. l. XI, 576 sqq.
3) cfr. l. l. II, 259 sq. Böhneke l. l. 412.

juberentur, rogavit, vituperat; addit 51 verba *καίτοι καὶ ἐπιστολὰς ἔπεμψεν ὁ Φίλιππος δύο καλοῦσας ὑμᾶς* — quibus de epistolis 51 et 52 loquitur: 53 totam narrationem sic finit: *οἱ μὲν τοίνυν Φωκεῖς ὡς τὰ παρ' ὑμῶν ἐπύθοντ' ἐκ τῆς ἐκκλησίας καὶ τότε ψήφισμα τοῦτ' ἔλαβον τὸ τοῦ Φιλοκράτους καὶ τὴν ἀπαγγελίαν ἐπύθοντο τὴν τούτου καὶ τὰς ὑποσχέσεις κατὰ πάντας τοὺς τρόπους ἀπώλοντο:* quibus ex verbis, omnia quae antecedunt ipsa pro hac concione, cujus verbis *τὰ παρ' ὑμῶν — ἐκ τῆς ἐκκλησίας* mentionem facit, acta esse, intelligi videtur. Quomodo enim Demosthenes 34—50 de prioribus comitiis, 51 sq. de posterioribus verbis factis, 53 verba *ἐκ τῆς ἐκκλησίας* adderet, quibus solam ad priorem concionem respiceret?

Aeschines nullam omnino vocem adhibet, ex qua, quo die Philippi epistola recitata, Demosthenis amici regis optato refragati sint, percipiatur: censet quidem Schaefer [1]) ex iis verbis, quae Aeschines 137 sq. faciat, post 16 Skirophorionis diem, quo legati rationes pro contione reddiderint, regis litteras advenisse, perspicuum esse; sed quo verbo hoc probari velit, nescimus: nos quidem nihil omnino apud Aeschinem invenimus, quo tempus epistolae recitatae et deliberationum de ea habitarum statuatur: videtur quidem semper de una tantum contione verba facere.

At alia Demosthenis verba probare videntur, ipsa pro ea contione, cui legati rationes reddiderunt et Aeschines summa promissa fecit, Philippi de optato, ut Athenienses copias adducerent, deliberatum esse. Omnia enim ea, quae Demosthenes Aeschinesque narrant, Philippi epistolam recitatam, oratores optato regio refragatos esse, ipsis in comitiis, populo convocato, facta esse, per se intelligitur. Quamquam certis quidem verbis non premitur, unum vel alterum oratorem, ut regis voluntati obsequerentur Athenienses, copias igitur educerent, rogasse, ipsa tamen Aeschinis (*οἱ δὲ νῦν πολεμικοὶ καὶ τὴν εἰνήνην ἀνανδρίαν καλοῦντες οὐ διεκώλυσαν ὑμᾶς ἐξελθεῖν, εἰρήνης καὶ συμμαχίας ὑμῖν γεγενημένης δεδιέναι φάσκοντες μὴ τοὺς στρατιώτας ὑμῶν ὁμήρους λαβῃ Φίλιππος; πότερον οὖν ἐγὼ τοὺς προγόνους ἐκώλυσα τὸν δῆμον μιμεῖσθαι ἢ σὺ καὶ οἱ μετὰ σοῦ συνεστηκότες ἐπὶ τὰ κοινά*; 2, 137) et Demosthenis verba (52: — *οὐδὲ* (*Φίλιππος*) *τοιαῦτα λέγειν τούτῳ προςέταττεν ἐξ ὧν ἥκισθ' ὑμεῖς ἐμέλλετ' ἐξιέναι.* 53: *τούτοις δ' εἴπερ ἦν ὑγιές τι τούτων τί ἄλλο προςῆκεν ἢ συνειπεῖν ὅπως ἐξέλθηθ' ὑμεῖς —· πάντα τοίνυν τἀναντία* sqq. — *τούτοις οὖν συνεπράττον καὶ τούτοις συνηγωνίζοντο*) hoc volunt, non de sermonibus controversiisque inter cives extra

---

1) l. l. II, 259. not. 2.

comitia factis, sed ipsis de concionis actionibus deliberationibusque cogitandum esse.

Verba Demosthenis 58 *ἡ δ'ἐκκλησία μετὰ ταῦτα ἐν ᾗ πάντα τὰ πράγματ' ἀπώλεσαν οὗτοι* — unam tantum concionem fuisse ostendunt, qua de rebus Phocensibus actum sit. 121 sqq. de tertia legatione ad Philippum missa loquitur Demosthenes: legati 16 Skirophorionis die creati sunt [1]): contione dimissa, congressi legati consultabant, quem Athenis relicturi essent: *ἔτι γὰρ τῶν πραγμάτων ὄντων μετεώρων καὶ τοῦ μέλλοντος ἀδήλου σύλλογοι καὶ λόγοι παντοδαποὶ κατὰ τὴν ἀγορὰν ἐγίγνοντο τότε. ἐφοβοῦντο δή, μὴ σύγκλητος ἐκκλησία γένοιτ' ἐξαίφνης, εἶτ' ἀκούσαντες ὑμεῖς ἐμοῦ τἀληθῆ ψηφίσαισθέ τι τῶν δεόντων ὑπὲρ τῶν Φωκέων*, metuebant igitur legati ne subito contio indiceretur —: ipsa haec verba probare videntur, *ἐκκλησίαν σύγκλητον* diebus sequentibus non habitam esse; attamen concione extra ordinem convocata opus fuit, qua Philippi epistola recitaretur et deliberaretur.

Itaque omnia Demosthenis verba quae de una tantum concione dicunt, qua res Phocenses deliberatae, hique ipsi proditi sint (53: *ἐκ τῆς ἐκκλησίας* —, 58: *ἡ δ'ἐκκλησία* —) quaeque *ἐκκλησίαν σύγκλητον* diebus sequentibus habitam esse negare videntur (122), jam 16 Skirophorionis die ea quae Demosthenes 51 sq. et Aeschines 137 sq. narrant facta esse, alteram concionem non habitam esse ostendunt. Quamobrem id quod Schaefer vult, post concionem 16 Skirophorionis die habitam, sed ante legatorum profectionem [2]) Philippi epistolas advenisse et deliberatas esse, non recte se habere videtur.

At obstare videntur Demosthenis verba 72 sqq. (*εἰς τοίνυν τοῦτ' ἀναιδείας καὶ τόλμης αὐτὸν ἥξειν ἀκούω ὥστε — Ἡγησίππου κατηγορήσειν — ὅσα γὰρ νῦν ἐρεῖ περὶ — τοῦ Ἡγησίππου — · οὐ γὰρ ὡς — εἰ μὴ δι' Ἡγησίππου ἐσώθησαν ἂν οἱ Φωκεῖς, οὐχ οὕτω τότ' ἀπήγγειλεν* —) quae ipsam ad hanc rem pertinere putat Schaefer [3]). Sed errat vir doctissimus: ipse enim Demosthenes 74 verba addit *πάντα δήπου ταῦτα πρὸ τοῦ τοὺς πρέσβεις τούτους δεῦρ' ἥκειν ἐπέπρακτο*, quae has res quae narrentur, priusquam legati ab ea legatione cujus Aeschines accusetur redierint, factas esse probent.

Etiam de iis concionibus, quibus de pace deliberabatur, 18 et 19 Elaphebolionis diebus habitis, 72 sqq. sermo non est. — Schaefer dubitat [4]) utrum ad has conciones illa verba referenda sint, an ad eam, qua de Philippi epistola actum sit —: Hegesippus enim ex iis fuit unus haud dubie, qui

---

1) cfr. Schaefer l. l. II, 258 sq. Boehnecke l. l. 403 sq.
2) l. l. II, 262 init. Boehnecke l. l. 412. Franke l. l. 32.
3) l. l. 260. not. 3.
4) l. l. II 212 fin.

paci Philocrateae ab Atheniensibus decernendae acerrime obstitit, quae Phocensium exitii causa vocari omnino non potest.

Si scholiorum verba et alias res inter se compares, de foedere inter Phocenses et Athenienses facto cogitandum esse, verisimile esse nobis videtur. Athenienses ipso Hegesippo auctore cum Phocensibus foedus inierant anno 353 (cfr. Aesch. 3, 118 *ἐμέμνητο τῆς τῶν Φωκέων συμμαχίας ἣν ὁ Κρωβύλος ἐκεῖνος ἔγραψε. Κρωβύλος* est Hegesippus cfr. Schol. ad h. l.) [1]), quum inter Phocenses et Philippum acerrimum bellum gerebatur [2]). Illo anno, Methone expugnata fortasse, foedus cum Onomarcho fecerunt Athenienses (Dem. de f. l. 61 sqq.), quo facto duobus proeliis Philippus devictus est. [3]) Scholia dicunt: *ὁ δὲ ῥήτωρ Ἡγήσιππος ἐδόκει τὰ Φωκέων φρονεῖν: ὃς παροξύνας τὸν Φίλιππον αἴτιος ἐγένετο τοῦ ἀπολέσθαι αὐτούς·* et: *Ἡγησίππου δὲ μέμνηται διότε Φιλίππῳ πρεσβευομένῳ περὶ τῆς εἰρήνης ὁ πρῶτος εἰπὼν καὶ διακωλύσας Ἡγήσιππος ἦν* (ad Dem. de f. l. 376, 10. 377, 7. Dind.) cfr. Schol. ad Aesch. 1, 71: *Ἡγήσιππος ἐκωμῳδήθη ὡς αἰσχρὸς τὴν ὄψιν καὶ περὶ τὰ Φωκικὰ ἡμαρτηκώς* et Bekker anecd. 1, 190; *Κρωβύλος οὗτος ἔδωκε χρήματα Ἀθηναίοις καὶ ἔσωσε καταδίκους.* [4]) Non improbabile esse videtur, illo tempore a Phocensibus summum in discrimen Philippum ductum de pace cum Atheniensibus facienda legatos misisse et Hegesippum illius foederis cum Phocensibus facti auctorem, quominus de pace cum Philippo ineunda ageretur, prohibuisse.

Sed utut haec res se habet, pro certo habendum est neque de concionibus 18 et 19 Elapheb. habitis, neque de epistolis Philippi, quibus Athenienses ad opem iis, qui justum bellum gererent, ferendam excitavit, cogitari posse.

Nunc de tertia legatione pauca verba faciamus. Sed non multa sunt, de quibus Demosthenes et Aeschines dissentiant. Decernunt legati, ut Aeschines Athenis remaneat et si forte Athenienses ad opem Phocensibus ferendam a Demosthene aliisque moveantur, iis resistat, itaque *ἀρρωστεῖν προφασίζεται* sqq. Phocensibus deletis quum summa perturbatio et tumultus urbem invasisset *οὔτε βουλῆς οὔτε δήμου χειροτονήσαντος αὐτὸν ᾤχετο πρεσβεύων.* Aeschines 94 sqq. dicit, se jam, quum creatus sit aegrotasse et jam tunc *ἐὰν ᾖ δυνατὸς* profecturum sees se dixisse; legatis proficisci parantibus, se autem ipso aegrotante, fratrem et medicum in senatum se misisse, ut Aeschinem proficisci non posse dice-

---

1) cfr. Franke l. l. 14.
2) cfr. Schaefer l. l. I, 452. Curtius Griech. Gesch. II, 438.
3) cfr. Curtius l. l. Schafer l. l. II, 30.
4) cfr. Schaefer l. l. I, 456. not. 2.

rent. Quibus de rebus inter se dissentiunt Aeschines et Demosthenes? Hic dicit fratrem, Aeschinem aegrotare, jurasse et ipsum delectum esse; fratrem jurasse, negat Aeschines, num in Aeschinis locum a senatu delectus sit, non dicit.

Res sic se habuisse videtur: Senatui munus fuit, ut omnia negotia ad deliberandum pro concione praepararet et ea quae non trahi differrique potuerunt, quum periculum in mora esset, ex suo arbitrio, populum postea ea quae fecisset probaturum esse confidens, curaret et efficeret. Legati profecturi fuerunt et summa properatione opus fuit: itaque in Aeschinis aegrotantis locum alium legatum ex proprio arbitrio destinaverunt.

Demosthenes 124: *προςελθὼν* (*ἀδελφὸς αὐτοῦ*) *τῇ βουλῇ ἐξώμοσεν ἀῤῥωστεῖν τουτονὶ καὶ αὐτὸς ἐχειροτονήθη:* sed non juravit frater: nam ei, qui pro concione electus erat, sola pro concione causae dicendae fuerunt, quibus quominus munus susciperet impediretur; sed causas indicavit frater, quibus Aeschines a legatione suscipienda prohiberetur; *ἐχειροτονήθη* quidem frater, sed a senatu non a populo. Dem. 126: *οὔτε βουλῆς οὔτε δήμου χειροτονήσαντος αὐτὸν ᾤχετο πρεσβεύων·* Aesch. 95: *προςαναγκάζοντος τοῦ δήμου μηδὲν ἧττον πρεσβεύειν ἡμᾶς τοὺς ἐξ ἀρχῆς αἱρεθέντας ἅπαντας —:* quomodo se res habuerit, facile est intellectu. [1]) Legati ab itinere reversi erant, munus igitur quod susceperant perfectum erat; si Athenienses cum Philippo agere voluerunt, novi legati creandi fuerunt: sed ne moram facerent, decreverunt, ut iidem legati proficiscerentur, qui tertiam legationem suscepissent. Aeschines ipsa hujus psephismatis verba profert 95: (*προςαναγκάζοντος τοῦ δήμου*) *πρεσβεύειν* (*ἡμᾶς*) *τοὺς ἐξ ἀρχῆς αἱρεθέντας ἅπαντας.* Quo psephismate decreto, Demosthenes denuo legati munus accepit; quum iterum se profecturum esse negaret, is qui primum in vicem ejus creatus erat, in ejus locum iterum successit. Ad hoc respiciunt verba Demosth. 172: *ἐπὶ γὰρ τὴν τρίτην πρεσβείαν δὶς με χειροτονησάντων ὑμῶν δὶς ἐξωμοσάμην.* Qua ex re intelligimus, Demosthenem summopere sophistice dicere: hîc dicit se ipsum, ceteros igitur quoque legatos, creatos esse iterum, bis; illic negat, legatos bis creatos esse (*οὔτε βουλῆς οὔτε δήμου χειροτονήσαντος αὐτόν*): nam quum revera non creati essent legati, ita ut populus rursus in suffragia mitteretur de singulis legatis, sed uno psephismate omnes eosdem legatos esse decerneret, qui primum creati essent; si ipsam verborum vim et creationis formam respicias, *χειροτονία* legatorum quidem

---

1) cfr. Schaefer l. l. II, 261 sq. not. 2. Franke l. l. 33 sq. Boehnecke l. l. 417 sq.

non fuit, sed χειροτονία psephismatis; sed hoc valde sophistice actum esse concedendum est.

Demosthenes in hoc nititur, quod, in Aeschinis locum fratrem ejus creatum esse a senatu dicit; si igitur populus decrevisset, eosdem legatos proficisci, non Aeschinem, sed ejus fratrem legationem suscipere debuisse. Quod Demostheni non credimus. Putamus enim Aeschinem, causis, quibus a legatione suscipienda prohibitus est, ademptis, munus iterum jure sibi vindicasse: nam senatus fratrem ad tempus tantum et solam ob eam causam, quod Aeschines aegrotavit, in ejus locum destinaverat. Sed etiamsi ita rem fuisse neges, videtur tamen populus decrevisse ut *οἱ ἐξ ἀρχῆς αἱρεθέντες* denuo legationem susciperent; quo psephismate Aeschines summo cum jure munus obiit. Quae res ipsis Demosthenis verbis 172 *δίς με χειροτονησάντων ὑμῶν δὶς ἐξωμοσάμην* confirmatur et probatur: ipso illo psephismate Demosthenes aeque atque Aeschines jus legationis suscipiendae recuperavit: hic iterum ejuravit, ille munus obiit.

In tertiae legationis tempus incidunt ea quae Demosthenes 121 sqq. refert, quibus Aeschines 161 et 140 respondet. Quae omnia quum nihil contineant, de quo Aeschines et Demosthenes dissentiant, causa non est, cur de his rebus verba faciamus.
